BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — K
1

VI 6 63

Digitized by Google

# CAEREMONIALE
# ROMANVM
AD VSVM
## FRATRVM MIN. OBSERV.
SANCTI FRANCISCI.

CAPITVLI GENERALIS ROMAE HABITI

ANNO M. DC. XXXIX.

IVSSV AEDITVM.

Pertinet ad Biblio: theca S. Francisci Transtyberim

ROMÆ,

Ex Typographia Sacræ Congreg. de Fide Propag.

M. DC. XXXX.

*Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# FR. IOANNES
## MERINERO
### TOT. ORD. MIN. S.P.N. FRANCISCI
Miniſter Generalis, & Seruus.

*Dilectis in Chriſto Patribus, & Fratribus noſtræ huius Ciſmontanæ Familiæ. Salutem.*

*CVm ſecundùm ordinem S. R. Eccleſiæ Sacra nos deceat celebrare myſteria: inquè Diuinorum Officiorum administratione, Eccleſiaſticas Cæremonias ſeruare teneamur: Vniformitatem Sacrorum Rituum, Conſtitutionumque generalium obſeruantiam animo recolentes; CAEREMONIALE hoc ex probatis Authoribus collectum vobis omnibus præſentamus; vt qui bonum, atq. iucundum ducitis habitare Fratres in vnum,*

*concordem pariter enitamini exhibere Domino ſamulatum. Cui (vt vtilis, & fructuoſus euadat) Sanctæ Obedientiæ meritum, & pœnarum comminationem adiungimus, omnibus, & ſingulis Prouincialibus, Superioribus localibus, ac Clericorum, Nouitiorumque Magiſtris, etiam ſub officij deſtitutione præcipientes, vt Librum hunc in quolibet Conuentu habere, eiuſdem lectioni ſeriò incumbere, quæque in illo præſcribuntur, exequi reſpectiuè ſtudeant, & procurent. Datum Romæ in Conuentu noſtro Aracælitano die* 1. *Octob. An.* 1639.

Fr. Ioannes Merinero Min. Generalis.

DE-

# DECRETVM

*Capituli Generalis Valliſoletani relatum inter Conſtitutiones Ordinis cap. 3. tit. de Sacris Ritibus, & Cæremonijs.*

VT in vniuerſa Familia, vna ſit omnibus pietas actionum, quibus eſt vna prorſus fides mentium; communi Patrum conſilio, & vnanimi conſenſu decretum eſt, vt Ritualis liber primo quoque tempore conficiatur, quàm accuratiſſimè, & confectus ad communem vtilitatem, & pietatem, piè, & diligenter exercendam, quamprimum detur in lucem.

Quam Conſtitutionem cum executioni mandandam nuperrimum Capitulum Generale Romanum, decerneret, nonnulliſque peritis Patribus conficiendi Ritualis negocium committere meditaretur, comperit à Patribus Seraphici Ordinis noſtri Conuentualibus, compoſitum fuiſſe Cærimoniale Romanum, Religionis vſui applicatum. Quod, quia diligentiſſimè collectum, & ſummo labore ex Eccleſiaſticis Ritibus, probatiſque Authoribus concinnatum exiſtit, ne nouus labor in vanum aſſumeretur, illud ipſum Cæremoniale (paucis immutatis) recudendum, & in omnibus Eccleſijs, ac Conuentibus no-



Digitized by Google

ſtris exercendum, ac executioni exactiſsimè demandandum, vnanimi conſenſione ſanciuit. prout omnibus, & ſingulis Fratribus obſeruandum, præcipit, & imponit. Romæ in Conuentu S. Mariæ de Araceli die 15. Iun. An. 1639.

*Fr. Antonius Hiqueus Diffinitor, & Secretarius Diffinitorij Generalis.*

IN-

Digitized by Google

# INDEX CAPITVM
## PRIMAE PARTIS.

*De conſeruando Sanctiſsimo Sacramento.* Caput 1. *Pag.* 1.
*De renouando Sanctiſsimo Sacramento* caput 2. *pag.* 3.
*De conficiendo Sanctiſſimo Sacramento pro communicandis.* *cap.* 3. *pag.* 4.
*De communione generali in Miſſa ſolemni cap.* 4. *pag.* 5.
*De communione particulari infra Miſſam.* Cap. 5. *pag.* 8.
*De particulare communione extra Miſſam, & in fine. cap.* 6. *pag.* 8.
*De defectibus in communione præſtanda occurrentibus. cap.* 7. *pag.* 10.
*De Sacerdote ad communionem miniſtrandam deputato. cap.* 8. *pag.* 10.
*De exponendo Sanctiſsimo Sacramento in Oratione* 40. *horarum. cap.* 9. *p.* 11.
*De modo exponendi Sanctiſſimum Sacramentum, vbi eſt conſuetudo, vt infra Octauam Corporis Christi Populo exponatur. cap.* 10 *pag.* 14.
*De obſeruandis in Miſſa ſolemni, cum Sanctiſsimum Sacramentum eſt expoſitum. cap.* 11. *p.* 15. *&* 5. *num.* 6. *&* 7. *num.* 12. *&* 152. *ſub num.* 10.

*De*

*De Proceſsione Sanctiſsimi Sacramenti in Eccleſijs noſtris Parochialibus. cap.12. pag.17. & cap. de Proceſsione, pag.165. num.3. &c.*
*De Proceſsione Sanctiſsimi Sacramenti in Cœna Domini. c.13. pag.21.*
*De Proceſsione Sanctiſsimi Sacramenti feriæ 6. in Paraſceue. cap.14. pag.24. & part.2. c.28. pag.88.*

## Index Capitum Secundæ partis.

*DE modo legendi Miſſam priuatam. cap.1. pag.27.*
*De quibuſdam obſeruationibus in Miſſa priuata. cap.2. pag.28. & cap.17. 18. 19. & 27.*
*De præparandis in Miſſa ſolemni, & ingreſſu Sacerdotis cum Miniſtris ad Altare. cap.3. pag.33. & 150.*
*De obſeruandis in thurificatione Altaris in Miſſa ſolemni. c.4. pag.36. & 154.*
*De Reliquiarum, ſeu Imaginum Sanctorum incenſatione in Miſſa ſolemni, & quando ibi adſit Tabernaculum Sanctiſsimi Sacramenti. cap.5. pag.38. & 50. num.3. & 150. n.5.*
*De Introitu, Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis in Miſſa ſol. cap.6. pag.40. & 150. num.5. & 151. num.9.*
*De Epiſt. quæ cantatur in Miſſa ſolemni, & Euangelio. cap.7. pag.41. & 151. num.10.*
*De Offertorio in Miſſa ſolemni. cap.8 pag.47.*
*De incenſatione Oblat. in Miſſa ſolemni vſque ad Canon. cap.9. pag.49 & 154. cap 8.*
*De Canone in Miſſa ſolemni vſque ad finem. cap.10. pag.52. & 153. num.14.*
*De Miſſa ſolemni Miniſtri Gener. & de Aſsiſtente. c.11. p.56. & 152. num.12.*
*De Miſſa, quæ cantatur ſine Miniſtris. cap.12. p.59.*
*De aſperſione aquæ benedictæ die Dominico. cap.13. pag.61.*
*De Miſſæ celebratione coram Prælatis, & Principibus. cap.15. pag.62.*

De

*De Miſſa ſolemni pro Defunctis. cap.15.pag.63.*
*De abſolutione pro Defunctis ad tumulum.c.16.p.64.*
*De quibuſdam regul.& Decr. in Miſsis Defunct. c.17.p 68.*
*De quibuſdam Alijs Decr. S.Rit.Congr. ſuper celebrat. Miſſ. cap.18.pag.69.*
*De nonnullis obſeruationibus, & concluſ. circa Miſſarum celebrat.c.19.p.72.*
*De benedict.Candelarum in Miſſa diei Feſti Purificat.B.M.V. c.20.p.74.*
*De benedict. in Miſſa feriæ 4. Cinerum. cap.21.p.75.*
*De benedict.ante Miſſam in Dom. Palmarum. c.22. p.76.*
*De notandis in Miſſa feria 5. in Cœna Dom. c.23.p.79. & 20.*
*De mandato in feria 5. Cœn.Domini. c.24.p.79.*
*De notandis in Miſſa fer.6. in Paraſc.c.25.p.80.& 88.& 24.*
*De obſeruandis in Miſſa Sabbati Sancti c.26.p.82.*
*De nonnullis admonit. circa Miſſ.celebrat.in communi in præced. cap.prætermiſsis. c.27.p.85.*
*De prætermiſsis in Miſſa feriæ 6.in Paraſc.c.27.p.88.*
*De ordine genuflectendi, & ſtandi in Miſſa priuata c.29.p.88.*
*De ordine genuflectendi, ſedendi, & ſtandi in Miſſa ſolemni. c.30.p.90. & 143.*

## Index Capitum Tertiæ partis.

*DE Veſp.ſolemnib.& primum de initio eorum vſque ad incenſat. Chori. c.1.p.94.*
*De incenſatione Chori ad Veſp.ſolemnes, & de Completorio. c.2.p.100.& 152. num.11.*
*De Veſp.ſolemniorib.celebr.P.Gen.vel alio Prælato ex noſtris in inſignioribus Eccleſ.c 3.p.104.& 126.*
*De Matutino ſolemni. c.4.p. 107.*
*De Prima cum Martyrologio. c.5.p.111.*
*De Antiphonis finalibus B. M.V.c.6.p.112.*
*De ritibus obſeruandis in recitatione Horarum Canon. ſine ſolemnitate in Choro. c.7.p.112.& 143.c.6.*

De

*De Cantoribus pro diebus Feſtis, & minus ſolemnibus. cap.8. pag.*114.
*De ritibus in priuata Canon. Horarum recitatione obſeruandis. cap.9.pag.*118.
*De Officio paruo B.M.V. & Officio Defunctorum.c.*10.*p.*119.
*De Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus. cap.*11.*pag.*120.
*De Ritibus particul.ſolemnitatum pro tempore, & Primum de Natiuitate Domini. c.*12.*p.*121.
*De Feſtis infra Octauam Natiuit.Domini. c.*13.*p.*122.
*De Epiphania Domini. cap.*14.*pag.*123.
*De Dom.Paſsionis,& triduo Maioris Hebdomadæ.c.*15.*p.*123.
*De Paſchate, vſque ad Feſtum Corporis Chriſti c.*16.*p.*124.
*De alijs Dominicis vſque ad Aduentum. c.*17.*pag.*124.
*De altero modo item probato celebrandi Veſp.ſolemnes à P.Gen. vel Prou. in ſua Prouincia cum Aſsiſtente c.*18.*p.*125.
*De nonnullis Decr.Sacr.Rit.Congr.ſuper celebrat.diuini Officij, cap.*19.*pag* 126.
*De quibuſdam concluſ. & regulis Diuinum Officium tangentibus. cap.*20.*pag.*129.

## Index Capitum Quartæ partis.

D*E Magiſtro Cæremoniarum, & eius officio. c.*1.*p.*133.
*De Vicario Chorali, & eius officio. c.*2.*p.*136.
*De diſciplina in Choro ſeruanda. c.*3.*p.*138.
*De ratione Pſallendi. c.*4.*p.*139.
*De varia Hymnorum intonatione. c.*5.*p.*141.
*De diſciplina in genuflexionibus, & inclinationibus adhibenda. cap.*6.*pag.*143. & 112. & 118.
De *diſciplina Celebrantis, & Miniſtri in Altari. c.*7. 150. & *part.*2. *per totum.*
De *modo incenſandi Altare ad Offertorium. c.*8. *p.*154. & 47.
De *Organorum, & Muſices vſu. c.*9.*p.*155.
De *Sacriſta, & eius officio. c.*10. *p.* 156.
De *menſuris proprijs ſacræ Supellectilis c.*11.*p.*158.

De

*De mundanda aliqua Supellectili Eccleſiaſtica.* c.12.p.163.
De *Proceſsionibus in genere.* c.13.p.164:
De *Proceſsionibus, quæ ſunt Inſtituti noſtri.&c.* c.14.p.167.
De *receptione Prælati in loco ſuæ iuriſd. ad Eccl.noſtras venientis.* c.15.pag.168.
De *receptione ſolemni Min. Gener. & Prouinc.* c.16.p.169.
De *adminiſtranda communione, & extrema vnctione Fratribus infirmis.* c.17.p.172.
De *obitu, & depoſitione Fratris defuncti.* c.18.p.174.

LAVS DEO.

Impri-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. Patri Sac. Pal. Apoſt. Mag.

*Io. Baptiſta Alterius Epiſc. Camer. Viceſg.*

*Imprimatur*

Fr. Reginaldus Lucarinus Reuerendiſſ. P. Sac. Pal. Apoſt. Mag. Socius, Ord. Præd.

CAERE-

Digitized by Google

# CAEREMONIALE
## SECVNDVM ORDINEM
## S. R. ECCLESIAE

*Ex Praxi Cæremoniarum & Commentarijs in Miſſalis, & Breuiarij Rubricas.*

Vſui Fratrum Min. de Obſeru. accommodatum.

De ijs, quæ pertinent ad cultum Sanctiſs. Euchariſtiæ.

## PARS PRIMA.

*De conſeruando Sanctiſsimo Sacramento.*
*Caput I.*

TABERNACVLVM in primis, in quo Sanctiſſima Euchariſtia conſeruabitur, ſaltem erit è tabulis populeis eleganter factum, & inauratum cum religioſis, ac pijs Imaginibus: amplum pro ratione Eccleſiæ, in cuius Altari maiori, vel etiam (& melius) in ſacello aliquo proprio collocandum erit.

2 Ipſa ſacra Euchariſtia loco congruo intra Pyxidem (cuius cuppa ſaltem ex argento puro ſit, eoque intus inaurato,



Digitized by Google

propria benedictione, quæ habetur in fine Miſſalis emendati, à Prælato benedictam, & conopeolis ſericeis coloris, tempori conuenientis coopertam, in ipſo Tabernaculo ita includatur, vt facilè extrahi poſſit.

3 Ipſius quoque Tabernaculi ambitus ſericeis velis iuxta temporum qualitatem coloratis, aut ſaltem ſemper albis ornetur, & in plano eius Corporale mundum benè aptetur, (ſæpe tamen mutandum) ne dimoueri poſſit.

4 Amplitudo Tabernaculi interior talis erit, vt ſaltem duę Pyxides, necnon, cùm opus fuerit, Oſtenſorium (omnino pro Proceſſionibus habendum) in eo intus contineatur. Oſtiolum verò erit ita patens, vt Pyxides facilè efferri, & inferri poſſint, & ab extra obſerabitur claui inaurata in aliqua capſula depicta, & ornata ſeorſim conſeruanda, & in præfato Oſtiolo, ſacra Chriſti Ieſu vulneratum pectus exhibentis, aut alia pia Imaguncula erit.

5 In Tabernaculi ſummitate ſacra effigies ſit Chriſti Domini, vel Cruci affixi, vel reſurgentis, aut Crux aliqua nuda collocetur, & ſuper ipſum appendatur Vmbraculum, ſeu Baldachinum. hinc inde à lateribus Tabernaculi, gradus vnus, vel duo erunt, ſuper quos candelabra (quæ regulariter ex aurichalco, aut ſaltem ex ligno inaurato erunt) aptari commodè poſſint. Lampades perpetuò collucebunt ante Sanctiſſimum Sacramentum; Lampadarium autem non à latere: (niſi forte pro locorum qualitate admodum Cornucopiæ accommodarentur) ſed è conſpectu Altaris rectè in medium, à ſcabello autem, ſeu ſuppedaneo Altaris diſtans, conſtituatur.

6 Præcipuum itaque Superiorum, & Sacriſtarum munus erit, vt ſacra Euchariſtia perpetuò in Altari clauibus obſerata decenter, cum luminibus accenſis conſeruetur, & ab eiſdem Sacriſtis, vel à Sacerdotibus ad id deputatis, diebus ſingulis Dominicis renouetur.

De

## *De renouando Sanctiſſimo Sacramento.*
## *Cap. II.*

CElebrans renouaturus Sanctiſſimam Euchariſtiam, poſt Orationem *Libera nos quæſumus*, vſque ad, *& ab omni perturbatione ſecuri* incluſiuè, cuſtodiam aperit, & genufle-ctit, & ſurgit. deinde vas accipit, & illud ſuper Altare collocat, vaſque & calicem diſcooperit, poſtea hoſtiam illam in vaſe exiſtentem iam conſecratam, ſuper patenam ponit; & idem vas intus diligenter purgat, & aliam hoſtiam pariter conſecratam in eo ponit, & claudit. deinde iterum genufle-ctit, & Miſſam proſequitur.

2 Diaconus autem in Miſſis cantatis Celebrantem adiuuat, & quando opus eſt, manus ad pedem Calicis admouet, vel eleuat, vel remouet, & vas intus cuſtodiam reponit, & claudit.

3 Quod ſi ex parte poſteriori Altaris in aliquo loco Sacramentum accipiendum fuerit, Diaconus ſaltem ante Offertorium, præcedentibus duobus Acolythis, cum facibus accenſis illud portat, & poſt renouationem eodem ordine reportet, omnibus interim, vt decet, genuflectentibus.

4 In Miſſis verò, quæ ſine Miniſtris celebrantur, ipſe Sacerdos, vel antè Miſſæ inchoationem, vel dum *Gloria in Excelſis*, ſeu *Credo* cantatur, Sanctiſſimum Sacramentum, ſi opportuerit, ad Altare deferat, ac reportet, vt ſupra.

5 In Miſſis priuatis illud ſemper ante Miſſam deferendum erit, obſeruando poſtea genuflexiones debitas in Miſſa. Calix autem tunc temporis ad partem, & non in medio ponatur, ne conſpectum Sanctiſſimi Sacramenti impediat. Eleuatio autem vaſis ad Oblationem non erit neceſſaria.

## *De conficiendo Sanctiſsimo Sacramento pro communicandis. Cap. III.*

SAcerdos Sanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus, pro populi multitudine Hoſtiarum minorum, ſeu Particularum ſufficientem numerum in vno vaſculo, vel pluribus ad hoc benedictis accomodabit, & ſi in Miſſa ſolemni facienda ſit earum conſecratio, dicto Offertorio, deferatur à Credentia per Subdiaconum Pyxis cum Hoſtijs conſecrandis, cooperta, & à Diacono, in Miſſa ſolemni reponatur ſuper Corporale in medio, inter locum Calicis, & Tabellam; ſecretarum antequam tradat patenam celebranti, & cum Celebrans dicturus eſt *Suſcipe ſancte Pater* pro oblatione Diaconus illam detegit, & aliquantulum eleuat, ſtatimque ſuper Altare reponit, & facta oblatione, iterum cooperit. Sacerdos verò dicens *ſuſcipe* intentionem ad omnes, & ſingulas, non determinando numerum, diriget.

2 In Miſſis autem priuatis Pyxidem opportunè accipiens ſuper Corporale collocabit, & ad *ſuſcipe*, ipſam diſcooperiet, rurſumq; cùm opus fuerit, cooperiet, vt ſupra.

3 Dicturus in Canone *Qui pridie* Pixidem ante Calicem trahens diſcooperit, & tunc accipiens Hoſtiam format ſignum Crucis, verbaque conſecrationis profert ſuper ipſam, & reliquas omnes abſque numeri determinatione, ſed quotquot ſint conſecrare intendet: poſt Eleuationem, repoſita ſuper Corporale Hoſtia conſecrata, cooperit Pyxidem, eamque loco congruo (intra tamen Corporale, ita vt ſacra actio non impediatur) collocabit; Et quando communicandorum paruus eſt numerus, Hoſtiæ conſecrandæ ſuper Patenam, poſſunt ſuper Corporale ad latus Calicis reponi.

4 In communicando nunquam dentur partes illius Hoſtiæ, quæ renouatur, vel quæ poſt orationem 40. hora-

rum

rum reſeruatur, ſed ipſe Sacerdos ſumat, quod etiam facere poteſt poſt ſumptionem Calicis. ita (*Gauant. p. 3. tit. 10. num. 6.*

5 In Communione, quæ fit inter Miſſarum ſolemnia non datur benedictio communicatis, etiam ſi Miſſa ſit pro Defunctis.

6 Si peracta ſumptione ſanguinis, adhuc remaneant Particulæ conſecratæ in Altari, Celebrans genuflexionum meminerit, quæ fiunt in Miſſa expoſito Sacramento, vt infra cap. 6. num. 12. Quod ſi ad *lauabo* in Altari fuerit Sacramentum extra Ciborium, ſiue in Oſtenſorio, vel in Pyxide, aut Calice; celebrans extra Altare deſcendendo gradus, manus lauabit, eodemque loco eas terget. ita (*Rub. par. miſſ. fer. 6. Paraſceu.*)

## *De Communione Generali in Miſſa ſolemni.*
## *Cap. IV.*

QVando Communio Generalis facienda erit in Miſſa ſolemni, tot paruæ Hoſtiæ in primis à Sacriſta parentur, quot videbuntur neceſſariæ, in aliquo vaſo conſecrato ſupra Credentiam reponendo. Diaconus igitur, quādo Burſam cum Corporali deferet ad Altare, ipſum etiam vas cum Hoſtijs, Palla aliqua coopertum ſimul deferre poterit, Burſa ſuper ipſum impoſita; & ſuper extenſum Corporale prædictum vas Palla coopertum, vt ſupra, in medio ante Crucem collocabit, ita tamen, quod incenſatio poſtea non impediatur.

2 Celebrante communicato, & ſanguine etiam aſſumpto, Diaconus, operto Calice cum palla ſua, eoque poſito paulò vltra medium Corporalis (intra aram tamen verſus Cornu Euangelij) Pyxidem, ſeu Vas Hoſtiarum in medio Corporalis collocat: quod ſi extrahendum illud eſſet de Tabernaculo, idem ipſe illud extrahit cum genuflexionibus ante, & poſt, genuflexo interim Celebrante, & alijs cir-

ca Altare. Diaconus in cornu Epiſtolæ ſtans, profunde tamen inclinatus, dicat alta voce *Confiteor*, manibus iunctis.

3 Celebrans, poſtquam Diaconus Pyxidem, ſeu Vas aperuerit, ſtat facie verſa ad Diaconum in medio Altaris; aliquantulum tamen verſus cornu Euangelij; Subdiaconus verò poſt Celebrantem, qui finito *Confiteor*, eodem loco ſtans ſubiungit *Miſereatur*, *Indulgentiam &c.* Diaconus autem reſpondebit. *Amen*.

4 Acolythi interea ante medium Altaris in ſuperiori gradu extendunt linteum mundiſſimum genuflexi, facie ſibi inuicem verſa. Diacono autem, & Subdiacono ante linteum pariter genuflexis, Celebrans cum debitis genuflexionibus eis Communionẽ porrigit, præmiſſis verbis, *Ecce Agnus Dei, Domine non ſum dignus*, quod & cæteri Fratres pectus percutiendo ſecretò dicent, & ſi non fuerit feria 5. in Cœna Domini, hymnus *Pange lingua*, in Choro cantabitur, atque interea Fratres bini, ac bini è Choro factis debitis reuerentijs, à latere Euangelij ſimul egredientes, poſt Miniſtros accedent ad Communionem, digniores primum, poſtea minus digni, qui ſimul, profunda inclinatione facta, genuflectunt, & poſtea communicati, ſimul item profunda inclinatione facta, conſurgunt, & ad Chorum reuertuntur ſimul à parte Epiſtolæ, vbi Diaconus Fratribus tantum purificationem miniſtrabit. & poſt primos duos, reliqui duo ſtatim ſint ibi parati, & ſi impares fuerint, tres vltimo loco ſimul communicentur.

5 Acolythi verò communicati ſtatim linteum capientes, vſque ad finem illum tenebunt, & ſi in Miſſa non fuerint Acolythi, duo de iunioribus tenebunt; & vbi non fuerint Diaconus, & Subdiaconus parati, duo pocula in Choro ſuper aliquo ſcamno ad hoc ornato, vel ſaltem aliquo linteo cooperto parentur, ad purificationem ſumendam. Laicis verò ſæcularibus aliquis cum alio vaſe purificationem miniſtrabit, & Diaconus interim ad dexteram Celebrantis accedit.

6. Ca-

6 Caueant, qui intortitia (nonniſi poſt abſolutam Communionem extinguenda) in manu habent, ne cum illis ad Communionem accedant, ſed alijs ea porrigant.

7 Communicent autem Ceroferarij poſt Acolythum, & Thuriferarium; hi verò poſt Diaconum, & Subdiaconum.

8 Sacerdotes quandocunque communicabunt, (non ſolum fer. 5. Cæ. Do. ſed alijs etiam temporibus, cùm aliquis eorum priuatim vult communicare) ſtola vtantur de collo pendente, coloris, quantum fieri poterit, tempori conuenientis.

9 Abſoluta Communione, antequam Celebrans Altare aſcendat (ſi fortè in aliquod planum Presbyterij communicaturus deſcenderit) ſurgunt miniſtri, & ad ipſum accedentes, dum gradus aſcendit, hinc inde eleuant fimbrias anteriores veſtium, ipſe verò tenens digitos dexteræ, adhuc ſuper Pyxidem coniunctos, aſcendit ad Altare, vbi ſupra Corporale illam reponens, aduertat, (quod ſemper aduertendum erit) ne quid fragmenti digitis adhęreat, illos, ad maiorem cautelam, ſupra Pyxidem excutiendo.

10 Deinde Diaconus operit Pyxidem, & reponit, genuflexo interim Celebrante, & poſtea Subdiacono, quibus deinde ſurgentibus, & repoſito Calice in medio Altaris, detectoque, purificationem ſuam facit Celebrans, qui nullam hic communicatis (quod eſt ſemper obſeruandum) benedictionem dabit, in fine Miſſæ daturus.

11 Quod ſi Sanctiſſimum Sacramentum adhuc remaneat in Altari; Celebrans, & Miniſtri debitas reuerentias obſeruent, præſertim verò Diaconus cum eſt dicturus: *Ite miſſa eſt*.

12 Reuerentiæ autem debitæ ſunt; vt Sacerdos genuflectat quandocunque accedit, vel recedit à medio, vel tranſit ante Sacramentum in vaſe reſeruatum, & cum dicit (*Dominus vobiſcum*) non debet ſe vertere ad populum in medio Altaris, ſed propè cornu Euangelij, vbi etiam in fine

dabit

dabit benedictionem non perficiens circulum (nam tunc verteret terga Sacramento) ſed per eandem viam redit ad medium, quod, & in *Orate Fratres*, eodem caſu obſeruabit.

13 Calix prætereà in hoc caſu (ne impediat conſpectum Sanctiſſimi Sacramenti à latere Euangelij; & non in medio erit collocandus, neque Corporale tunc plicabitur.

14 Cum deniquè dicit Euangelium in fine Miſſæ, ſeipſum tantum, non Altare ſignabit

15 Hoc eodem modo, quando diebus Dominicis, aut alijs feſtis, & vbi non parantur Miniſtri, Communio à non Sacerdotibus fit in Miſſis, procedendum erit, exceptis quę de Miniſtris ſunt dicta.

## *De Communione particulari infra Miſſam.*
## *Cap. V.*

QVando poſt Communionem Sacerdotis de vtraque ſpecie, aliquis eſſet communicaturus, eadem reſpectiuè obſeruanda erunt, de quibus in præcedenti capite fuit mentio facta, & ſemper velum à Miniſtro ante Communicandos ponatur; ipſe verò à latere Epiſtolæ genuflexus dicet *Confiteor*, & celebrans ſemper ſubiungat *Miſereatur*, *Indulgentiam*, & cætera, eodemque modo *Domine non ſum dignus*, etiam ſi fuerit mulier communicanda.

## *De particulari Communione extra Miſſam, & in fine.*
## *Cap. VI.*

SAcerdos extra Miſſam communicaturus, ſuperpelliceo, & Stola indutus, duabus candelis cereis, & quantum fieri poteſt duobus etiam intortitijs, vel ſaltem vno intortitio accenſo, cum Burſa, & Corporali intus, accedit ad Altare, & poſt factam debitam genuflexionem, dicto corporali extenſo, collocat ſe ad cornu Euangelij; Miniſter verò (ſine quo non decet communicare) à parte

Epi-

Epiſtolæ verſus Sacerdotem genuflexus dicit voce intelligibili *Confiteor*, deinde Sacerdos, *Miſereatur*, *Indulgentiam*, *&c.* mox ad medium Altaris conuerſus, facta genuflexione, Cuſtodiam aperit, iterum genuflectit, Pyxidem ſuper Corporale ponit, & Particulam vnam manu dextera inter indicem, & pollicem capit, & conuerſus ad communicandos dicit, *Domine non ſum dignus*, & nihil omnino aliud: deinde deſcendens, à latere Epiſtolæ incipit communicare proſequendo vſque ad latus Euangelij, & ſi alij acceſſerint, quoties opus eſt, reuertitur, ſemper incipiendo à latere Epiſtolæ eodem ordine, donec compleatur circulus vſque ad vltimum lateris Euangelij, deinde ad Altare reuerſus, digitos ſuper Pyxidem excutit, ne fragmentum aliquod adhęreat, Pyxidem operit, & genuflexione exhibita, reponit, & claudit, tum ſummitatem digitorum, quæ Sacramentum tetigerunt, in aliqua peluicula ſeorſim poſita purificat, & purificatorio ad hoc parato extergit, aqua verò, in qua digitos purificauit in piſcinam, ſeu Sacrarium eſt proijcienda.

2 Peracta Communione, dici poteſt Antiphona: *O ſacrum Conuiuium*, *&c.* cum Verſ. *Panem de cælo*, *&c.* & Sacerdos dicit Orationem *Deus qui nobis*, *&c.* Tempore verò Paſchali, addito Alleluia ad Antiphonam, & Verſum, dicit Orationem *Spiritum nobis Domine tuæ Charitatis infunde, vt quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* & hoc tunc maximè quando Communio in fine Miſſæ ſit facienda. Deinde repoſita Pyxide intra Tabernaculum poſt genuflexionem factam ad communicatos ſe conuertens eos benedicit, dicendo: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper, Amen.* neque eſt cur aſpergantur aqua benedicta.

3 Communicandi verò habeant ſemper ante ſe velum aliquod mundum ſuper cancellos, vel alio modo extenſum.

## *De Defectibus in Communione præſtanda occurrentibus.* Cap. VII.

SI dum ſit Communio, aliqua Hoſtia decidat in terram, reuerenter eam Sacerdos accipiat, & locus in quem ceciderit obſignetur; atque aliquid interim ſuperimponatur, opportuno poſtmodum tempore abradatur, & abraſio in Sacrarium proijciatur.

2 Si ceciderit ſupra mappam aut velum, huiuſmodi mappa, aut velum ſignetur, & poſtmodum diligenter lauetur, ipſa verò lotio in Sacrarij piſcinam proijciatur.

3 Si ſupra veſtes communicantium ceciderit, locus ſignetur, ac poſtea lauetur. quod ſi commodè, vel decenter fieri non poterit, ſi fortè aliquam mulierem tetigerit; eidem, vt veſtem, vel locum à Sacramento tactum lauet, Miniſter committat, & lotionem, vt ſupra in Sacrarium proijciat:

## *De Sacerdote ad Communionem miniſtrandam deputato.* Cap. VIII.

SAcerdos ad Sacram Communionem fidelibus opportunè miniſtrandam, in Eccleſijs maioribus præcipuè deſignandus, omnem diligentiam adhibebit, vt nihil eorum prætermittat, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cultum, & ornamentum pertinent, ita vt munda in primis, ornata, & ſplendida pro viribus omnia appareant; Pyxides octauo quoque die purificando, Altare, in quo ea miniſtratur ornãdo, vaſcula mundando, peluiculam cum purificatorio, pro ablutione digitorum ſemper adhibendo; vela, linteamina, atque etiam parua Conopeæ Pyxidum ſuis quæque locis recondendo; ſcamnum ſemper ante cancellos, vbi ſumenda eſt ſacra Communio, panno lineo contegendo, ſupraquę linteum, aut velum album extendendo, & alia his ſimilia accuratè, prout tanti Sacramenti dignitas poſtulat, efficiendo.

2 Cum

2 Cum transferendum eſt Sacramentum ad Altare, omnibus in Altari præparatis, lotis ſemper prius manibus, ſuperpelliceo, ſtola debiti coloris indutus, veloque oblongo ſuper humeros impoſito, cuius extremitas Pyxidem cooperiat, præcedentibus ſaltem duobus intortitijs, transferet. Et ſi per Eccleſiam longo ſpatio ſit procedendum, aliquem Pſalmum, aut Hymnum ſubmiſſa voce cum adſtantibus recitabit, præcedente etiam Acolytho cum tintinnabulo.

3 Poſt celebrationem Feſti, & octauæ Sanctiſſimi Corporis Chriſti, vbi fuerit facta Proceſſio, ac poſt celebrationem Orationis 40. horarum, & quoties Sãctiſſimum Sacramẽtum in Tabernaculo fuerit expoſitum, Sacram Hoſtiam ex Tabernaculo, cùm celebrat, aſſumat in Miſſa, diligenter aduertens, ne aliquod in lunula fragmentum fortè remaneat, vino eam accuratè abluendo, & ablutionem vel ſumendo, vel in Sacrarium proijciendo, cuius & ipſe alteram, vt claue m cum Sacriſta habeat, erit valde congruum, prout etiam maximè conueniens erit, vt in Sacriſtia armariolum habeat, vbi omnia ad ſuum miniſterium neceſſaria clauibus obſerata conſeruet.

*De exponendo Sanctiſſimo Sacramento in Oratione 40. horarum. Cap. IX.*

QVandocunque iuſtis de cauſis celebranda erit Oratio 40. horarum, in qua exponitur Sanctiſſimum Sacramentum, inprimis Altare, in quo illud exponendum eſt, ſolemni apparatu, prout fieri ſolet in præcipuis ſolemnitatibus, decorè ornetur, candelabris circa illud multis, ſed ad minus ſex, ſuper eodem Altari, & extra in Presbyterio, ſeu plano capellę ſaltem duobus, cum ſuis luminibus, candelis, & intortitijs ritè diſpoſitis; adhibitis etiam Angelorum ſimulacris, florum vaſculis, ſacris imaginibus, & alijs Eccleſiaſticis ornamentis, & aromaticis odoribus.

2 Miſſa, etiam ſi ſit duplex, vel Dominicus dies, erit de

Sanctiſſimo Sacramento, in paramentis albis: diebus verò Feſtis, & priuilegiatis, duæ Miſſæ dicantur in Conuentibus, vbi ſufficiens ſit Fratrum numerus, altera de die poſt Tertiam, altera de Sanctiſſimo Sacramento ante Proceſſionem, erit autem votiua, ac ſolemnis pro re graui, hoc eſt quando ad eam cantandam conuenire debeant omnes Fratres, vt fit in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, & huiuſmodi; & vna tantùm Oratio dicetur cum *Gloria, & Credo*, & ſi dies ſit ex maioribus priuilegiatis, Miſſa erit omnino de die cum commemoratione Sanctiſſimi Sacramenti, in paramentis coloris tempori, ac feſto congruentis. In Proceſſione verò paramenta erunt alba.

3 Proceſſio autem celebrabitur per Eccleſiam, vel circa eam, iuxta conſuetudinem locorum, eodem modo, quo infr. c. 12. & poſt eam Sacramentum ponetur loco decenti, & eleuato in medio Altaris ſub Baldachino, velis pretioſis, & infulis hinc inde pendentibus.

4 Dum Sacramentum erit expoſitum, duo ex Fratribus in tabella per Superiorem deſignandis, incipiendo à maioribus, vſque ad minores, continuè, cùm Oratio celebrabitur, ſuperpelliceis induti. Sacerdotes verò etiam ſtolam Albam habentes, flexis genibus intra Presbyterium, ſeu planum Capellæ aſſiſtere debebunt, vnuſquiſque per horæ ſpatium.

5 Noctis tempore (niſi reponatur Sacramentum) Eccleſia vndique, quantùm fieri poterit, illuſtrabitur ſufficienti luminum numero.

6 Loco conſpicuo Horologium ante orantes collocetur, quod hora tranſacta, furſum vertatur, & alter ex Aſſiſtentibus aliquo tintinnabulo finitæ horæ ſignum dabit, vt reliqui duo, iam in Sacriſtia opportunè parati ad conficiendam horam ſuam accedat per ordinem.

7 Durante Oratione, caueatur, ne quis (maximè ſæcularium) intra Presbyterium accedat, neque etiam ad accendendos, vel emungendos cereos, hoc enim munere fungentur

Digitized by Google

gentur aliqui ex Noſtris ſuperpelliceo induti.

8 Priuatæ Miſſæ in eo Altari regulariter non celebrabuntur; ſi tamen aliqua ex cauſa celebrari debeant, aduertant Sacerdotes, vt genuflexiones obſeruent, de quibus fusè inf. cap. 11.

9 Si ſermo habeatur, breuior eſſe debet, & qui affectus audientium moueat, capite ſemper detecto.

10 In Choro pariter dum Sanctiſſimum Sacramentum fuerit expoſitum, aperto ſemper capite erunt Fratres omnes, etiam cùm ſedendum fuerit ad Lectiones.

11 Si interim Veſperæ ſolemnes celebrentur, Sacerdos Pluuiali coloris officio congruentis indutus, ad incenſandum Altare procedit; incenſum imponitur cum oſculis, & benedictione more ſolito, (quia incenſatur etiam Altare) in medio autem incenſabit tantùm Sanctiſſimum Sacramentum genuflexus; deinde ſurgens reliquam incenſationem, & alia proſequetur, vt eſt de more.

12 In fine Orationis Proceſſio fit, vt in principio, & cantatur Hymnus *Pange lingua*, & ſemper Fratres è Choro bini, & bini procedunt hinc inde cum debitis genuflexionibus in Choro, & cùm tranſeunt ante Sacramentum. In fine verò *Tantum ergo Sacramentum* dicitur, cum denuo peruenerint ad Altare, in quo reponendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, & cum eo datur benedictio, nihil dicendo. Et dictus ordo, ac ritus ſimiliter obſeruabitur, vbi conſtituitur Oratio quinque Horarum feria ſexta in mane, & quæ etiam inf. c. 12. præſcribuntur reſpectiuè.

13 Poſt Orationem, die ſequenti aſſumitur Hoſtia à Sacerdote ieiuno, immediatè poſt Communionem, antequam ſe purificet, & lunula Oſtenſorij purificabitur.

### *De modo exponendi Sanctiſſimum Sacramentum, vbi eſt conſuetudo, vt infra Octauam Corporis Chiſti populo exponatur.* Caput X.

VBi conſuetudo ſit, vt, cùm per Octauam Corporis Chriſti diuina Officia celebrantur, populo exponatur Sanctiſſimum Sacramentum. ipſa die ſolemnitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti ad Veſperas, ſolemnes, & per Octauam, Altare cum luminaribus, ac floſculis, prout dictum eſt fieri debere in celebratione 40. horarum, ſolemniter ornabitur; & hora congrua, dato ſigno Campanarum, conuenientibus omnibus ad Veſperarum Officium celebrandum, Celebrans in Sacriſtia cum Aſſiſtentibus indutis Pluuialibus albi coloris, præcedente Thuriferario cum Ceroferarijs, accenſis in Altari luminibus, dum datur vltimum Campanarum ſignum ad Altare procedit, vbi detecto capite, facta Altari reuerentia, aliquantulum genuflexi orabunt, mox primus Aſſiſtens Altare aſcendens, ipſam ſacram Hoſtiam, loco præparato in Oſtenſorio, in medio Altari cum debitis reuerentijs collocabit.

2 Celebrans, adorato Sanctiſſimo Sacramento, ſurgit, & miniſtrante primo Aſſiſtente Nauiculam, incenſum in Thuribulum imponit, nihil dicens, neque ſignum Crucis efformans, tunc genuflexus, Aſſiſtentibus hinc inde Pluuialis fimbrias eleuantibus, triplici ductu Sanctiſſimum Sacramentum incenſat, ante, & poſtea profundè inclinans: interim tanguntur Organa, ceſſante Campanarum ſono, deinde reddito Thuribulo Aſſiſtenti, qui illud ſine oſculis accipit, datque Thuriferario, in Chorum ad locum ſuum accedit.

3 Solemniter cantantur Veſperæ, prout in ſolemnioribus, omnibus ſtantibus detecto capite. Ad *Magnificat* miniſtratur Incenſum adſtantibus, ita tamen ne terga vertantur Sacramento, & omnia fiunt more ſolito, cum oſculis, & bene-

dictione incenſi: ipſum autem Sacramentum incenſatur triplici ductu à Celebrante genuflexo, cui etiam miniſtri omnes genuflexi aſſiſtunt, exceptis Ceroferarijs, quos ſemper ſtare decet, deinde Celebrans ſurgens incenſabit primùm Sanctorum Imagines, vel Reliquias, ſi adſint, mox Candelabra, & Altare, ſemper, dum per medium tranſibit, genuflectens.

4 Si cantandum ſit Matutinum, omnes in Choro erunt detecto capite, ſiue ſtantes, ſiue ad Lectiones ſedentes, eaque omnia ſeruabunt, quæ de Matutinis ſolemnibus ſuo loco præſcribuntur. Laudes verò celebrantur eodem ordine, quo de Veſp. dictum eſt, & ad *Benedictus* incenſatur Altare, prout ad *Magnificat*.

5 Completo Officio, omnibus intra Presbyterium, vel in Choro genuflexis, Celebrans cum Miniſtris ad Altare accedens, Sacramentum incenſat, interim à Choro cantabitur *Tantum ergo Sacramentum*, intonante Vicario; deinde poſt Verſum *Panem de cælo, &c.* Celebrans ſurgens dicit Orationem *Deus, qui nobis*, datque cum Sanctiſſimo Sacramento benedictionem, ac repoſito Sacramento, tunc, & non priùs, extinguuntur luminaria.

## *De obſeruandis in Miſſa ſolemni, cum Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum.* *Cap. XI.*

SI celebranda ſit aliquando Miſſa ſolemnis, quando Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum, Celebrans cum Miniſtris ad Altare accedens vtroque genu adorat; facta confeſſione, cùm ad Altare aſcendit prius ante Sanctiſſimum Sacramentum genuflectit, mox dicens *Oramus te Domine*, more ſolito oſculatur Altare, & incenſum ponit in Thuribulum illud benedicendo. Diaconus Nauiculam miniſtrat, & Thuribulum porrigit cum oſculis. Celebrans, impoſito incenſo

cenſo, genuflexus ſupra gradum Altaris, accepto Thuribulo à Diacono cum oſculis incenſat Sanctiſſimum Sacramentum ter ducens Thuribulum, ante, & poſtea profundè inclinans, mox ſurgens incenſat Sanctorum Reliquias, ſeu imagines, Candelabra, & Altare more ſolito, ac ipſe à Diacono more ſolito incenſatur.

2 Semper accedens, & recedens in medio genuflectit; cum ſe conuertit, vt dicatur *Dominus vobiſcum*, prius genuflectit in medio, ne terga vergat Sacramentò, conuertit autem ſe à latere Euangelij; & rediens, vt dicat Orationem in cornu Epiſtolæ, per medium tranſiens genuflectit.

3 Poſt Offertorium, antequam ſe conuertat ad imponendum incenſum genuflectit, & imponens incenſum in Thuribulum dicit *Per interceſſionem, &c.* & cum dicit *dignetur Dominus benedicere*, more ſolito format ſignum Crucis ſuper Thuribulum, mox ad Altare conuertens genuflectit, ac ſurgens incenſat oblata, Diacono interim manu Calicis pedem tenente; nec amouet, vt ſolet Calicem è medio, ſed Celebrante genuflexo, ter Sacramentum incenſante, ipſe aliquantulum retro pariter genuflexus Caſulam eleuatam tenebit, cum eodem ante, & poſtea inclinans. Incenſato Sacramento, Celebrans, & cum eo etiam Diaconus ſurgit, & incenſatur Altare, ac tandem ipſe Celebrans, & reliqui omnes more ſolito. Poſt incenſationem Celebrans lauat manus aliquantulum extra Altare, vt ſupra, vbi incenſatus fuit.

4 Rediens in medium genuflectit, deinde profundè inclinatus dicit *Suſcipe S. Trinitas, &c.* quo dicto rurſum genuflectit in medio, & conuertens ſe, vt dicat *Orate Fratres*, vertit ſe ad latus Euangelij, nec complet circulum, ſed rediens per eandem viam iterum genuflectit, & proſequitur ſecreta, & reliqua omnia.

5 Poſt Communionem conuertens ſe, vt dicat *Dominus vobiſcum*, & Orationem, eadem obſeruabit, quæ ſuper ſunt adnotata. Pariter ad benedictionem non complet circulum, neque ad Euangelium in fine ſignat Altare.

6. In

6 In fine Miſſæ ab Altari recedens cum Miniſtris, & alijs in plano vtroq. genu flectit. In Miſſis priuatis omnia obſeruantur modo ſupra præſcripto.

*De Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſijs noſtris Parochialibus.* *Cap. XII.*

SI qua Eccleſia noſtra (vt in Vrbe Roma, & alibi) annexam habeat animarum curam, cum celebranda erit Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti, hoc modo procedendum erit: Ipſa die, qua ſolemnis Proceſſio Sacratiſſimi Chriſti Corporis celebrari debet, præparabit Sacriſta in Calice pro Miſſa ſolemni (vt habetur in *Cær.Ep.l.1.cap.23.*) duas Hoſtias, item Tabernaculum Oſtenſorium, Crucem Proceſſionalem, congruum funalium, ſeu cereorum numerum, duo Thuribula, velum oblongum pro Celebrante, paramenta ſolemnia albi coloris, Pluuiale, & Baldachinum album.

2 Paratis iam omnibus, Miſſæ Sacrum hora congrua ſolemniter celebrabitur: in ipſa duæ hoſtiæ conſecrantur, quarum altera in ipſa Communione de more aſſumpta, altera intra Tabernaculum, antequam celebrans purificationem ſumat, reponetur. Accedente Subdiacono cum Tabernaculo Oſtenſorio ex Credentia deſumpto, à latere Epiſtolæ Altaris, Diacono ibid. miniſtrante, Celebrans ſua manu imponit Sacram Hoſtiam in lunula, quæ eſt in medio Tabernaculi inter ſphæram chriſtalli loco conſpicuo poſita, & cum debitis reuerentijs per Diaconum in medio Altaris ſupra Corporale aptatur. Sacerdos, & Miniſtri quoties accedunt ante Sacramentum, vel recedunt, genuflectunt, aliaque omnia circa conuerſiones obſeruant, quæ ſup. fuerunt annotata in cap. præcedenti.

3 Celebrans completo Euangelio vltimo in fine Miſſæ, ante infimum gradum Altaris deſcendens, & retrahens ſe extra cornu Epiſtolæ, Miniſtris adiuuantibus (qui Manipulos relinquunt) depoſita Caſula, & Manipulo

Miniſtris adiuuantibus, depoſita Caſula, accipit Pluuiale, alter Subdiaconus, qui Crucem deferre debet, iudutus Amictu, Alba, & Tunicella tantum albi coloris, & Sacerdotes (ſi qui adſuerint, qui haſtas Baldachini deferre debeant) induti Pluuialibus, vel ſaltem habentes ſuperpelliceum, ante Altare accedunt, Acolythi prunas Thuribulis imponunt, omnibuſque ante Presbyterium ordinatè accedentibus, Celebrans ſtans ante gradus Altaris imponit incenſum in duo Thuribula ab Acolythis ſibi allata, quod miniſtratur ſine oſculis, neque benedic itur, deinde genuflexus ter ducens Thuribulum, cum debitis inclinationibus Sanctiſſimum Sacramentum incenſat. Quo tempore cantari poterit; *O ſacrum Conuiuium*, vel *Tantum ergo Sacramentum*. vt in Inſtruct. Romæ edita pro oratione 40. horarum. quo incenſato, Subdiaconus velum oblongum ſuper humeros Celebrantis imponit, qui genuflexus accipit de manu Diaconi Sãctiſſimum Sacramentum, ac ſurgens ipſum in medio Altaris ad populum conuerſus eleuatum tenet, Miniſtris hinc inde fimbrias Pluuialis eleuatas tenentibus. Interim Cantoribus inchoãtibus, reliqui proſequuntur Hymnum *Pange lingua glorioſi*, vt habetur in Rituali Romano de Proceſſ. additis, ſi longior fuerit Proceſſio, alijs Hymnis, & Pſalmis, puta *Sacris ſolemnijs*, *Verbum ſupernum*, *&c. Ieſu noſtra redemptio. Aeterne rex Altiſſime*, item *Te Deum Laudamus*, *Benedictus*, *Magnificat*, *&c.*

4 Ordinatur proceſſio, vt ſup. procedendo Fratres bini, & bini poſt Confraternitates, ſi adſuerint, Fratres autem præcedit Subdiaconus paratus deferens Crucem medius inter Ceroferarios cum candelabris, & cereis accẽſis, & cereos quoque accenſos manu geſtabunt omnes. ea ſcilicet, manu, quæ vnicuique extima eſt, altera pectori admota. Prope Sacramentum hinc inde ſemper curabit Magiſter Cæremoniarum; vt adſint funalia accenſa, & duo Thuriferarij continuò Sacramentum ipſum incenſabunt, immediatè ante Celebrãtem procedentes, ita tamen, ne terga vertant Sacramento,

to, ſemper facie ad ipſum Sacramentum conuerſa ſimul greſſus mouentes, ac pariter ſimul Thuribulum eleuantes. Deferentes verò Baldachinum, aduertent, vt ſemper graui paſſu incedant, ipſum ſemper ſupra Sacramentum deferentes. Celebrans ſub Baldachino incedens cum Miniſtris, qui fimbrias Pluuialis eleuatas à lateribus tenebunt, alternatim cum ipſis recitabit ſubmiſſa voce Pſamos, & Hymnos. Choro interim cantante, campanæ continuè pulſentur.

5 Ad Eccleſiam reuerſi, vbi ante Altare peruenerint, Subdiaconus deponit Crucem loco congruo, & Ceroferarij Candelabra ſupra Credentiam, ac prope Altare genufleðũt, reliqui quoque hinc inde per ordinem genufleđunt adhuc cereos accenſos tenentes, & cum Celebrans ante cancellos, vel ad gradus Altaris peruenerit, amouetur Baldachinũ per Miniſtros ad hoc deputatos, & qui illud deferebant, eod. loco genuflectunt.

6 Celebrans ante gradus Altaris Sacramentum in manu Diaconi deponit, cum debitis reuerentijs; nam Diaconus antequam Sacramentum accipiat, vtroque genu flexo reuerenter illud adorat: (Celebrante interim verſus eum immobiliter ſtante) deinde accepto Tabernaculo Sacramenti, vtraque manu aliquantulum illud eleuatum verſus Celebrãtem tenens conſiſtit, donec ab illo adoretur, atque ita Celebrans reddito Tabernaculo Diacono vtroque genu flexo, ipſum reuerenter adorat. Tum Diaconus Altare aſcendens, ipſum in medio ſuper Corporale collocabit, Celebrante interim in gradu Altaris inferiori genuflexo manente, atque Subdiacono pariter ad eius ſiniſtram in plano genuflexo.

7 Diacono ad Celebrantem redeunte, miniſtratur incenſum, interim dum cantatur *Tantum ergo Sacramentum*, Celebrans Sacramentum incenſat, vt ſupra, & dum Cantores ſubdunt *Panem de Cælo, &c.* Choro reſpondente *Omne delectamentum, &c.* Celebrans ſtans, Miniſtris hinc in-

de adhuc genuflexis, librumque ſuſtinentibus, dicet *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Deus qui nobis, &c.*

8 Dicta Oratione, Sacerdos Altare aſcendens cum debitis reuerentijs accipit Tabernaculum vtraq. manu ante faciem eleuatum, & ad populum conuerſus, Miniſtris, & omnibus reuerenter genuflexis, cum illo efformando ſignum Crucis, ſemel tantum, nihil dicens, adſtantes benedicit, vnico ſigno Crucis ſenſim ducto; & cum debitis reuerẽtijs ante infimum gradum recedens genuflectit, donec Sacra Hoſtia per Diaconum intra Tabernaculum reponatur. Repoſito Sacramento, clauſoque Oſtiolo Tabernaculi, Celebrans ſurgit, & omnibus pariter conſurgentibus, tunc, & non prius extinguuntur cerei, & ceſſat ſonus Campanarum. Omnibus ordinatè recedentibus, vltimus omnium procedit Celebrans, cum Miniſtris capite cooperto, & in Sacriſtia ſacras veſtes deponunt.

9 Notandum circa incenſationem Acolythorum ante Sacramentum in Proceſſionibus, quod ea fieri poteſt duobus modis: primo ſi dicti Acolythi incenſent, ductis Thuribulis, vt fit in incenſatione perſonarum: ſecundo, ſi hinc inde ante procedant mouentes manibus dextris Thuribula de ijſdem pendentia, & effumantia. ita *Rit. Rom. de Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti*, quaſi ſternendo viam Sacramento cum odore incenſi, qui modus videtur magis vſitatus, & congruus.

10 Item notandum, quòd Celebrans nunquam cum alijs in Proceſſione Sacramenti cantat, ſed ſecretò dicit.

11 Inſuper; ſi Proceſſio non fit extra Eccleſiam, conuenit, vt Fratres ad primos duos verſus *Tantum ergo Sacramẽtum*, genuflectant conuerſi ad Sacramentum, Miniſtris exceptis. extra Eccleſiam verò minimè.

Do

## *De Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti in Cœna Domini. Cap. XIII.*

CElebrans, completa Miſſa, ante gradus Altaris deſcendens, & retrahens ſe extra cornu Epiſtolæ deponit Caſulam, & manipulum (quæ etiam deponunt Diaconus, & Subdiaconus) & Pluuiali albo induitur, ibique ſtans ante Altare, hoc eſt, ad latus Euangelij aliquantulum contra latus Epiſtolæ conuerſus, miniſtrante Diacono Nauiculam, ac Subdiacono fimbriam Pluuialis eleuante, immittit incenſum in Thuribulum ſine benedictione, & oſculis, vt pluries dictum fuit in hoc caſu, & deinde in medio genuflexus ter Sacramentum incenſat, modo ſuperius præſcripto, facta ſcilicet ante, & poſt profunda capitis ſimul cum Miniſtris inclinatione. ita *Car. Ep. l. 1. c. 23.*

2 Poſt incenſationem Subdiaconus velum oblongum ſibi ab Acolytho porrectum, in humeros Celebrantis imponit; interim verò Diaconus cum debitis reuerentijs ad Altare aſcendens accipit Calicem cum Hoſtia, & Celebranti genūflexo, vt ſupra, porrigit, ita vt ipſe Celebrans ſiniſtra nodum teneat, & dexteram ſuperponat Calici, quā Diaconus tegit extremitatibus veli pendentis ab humeris; & ſtatim accepto Sacramento ſurgit, ac Diaconus tunc reuerenter genuflectit.

3 Mox Celebrans Calicem ambabus manibus ante oculos eleuatum tenens ad populum ſe conuertit, Miniſtris, vt ſupra, Pluuialis fimbrias hinc inde eleuatas tenentibus, ita etiam *Rit. Rom. de Proceſſ.* & interim à Cantoribus inchoatur Hymnus, *Pange lingua glorioſi, &c.* & tunc præcedenti alio Subdiacono parato cum Tunicella, ſine manipulo cum Cruce (quæ erit adhuc velata) medio inter Ceroferarios, procedunt omnes cum intorticijs albis, ſeu cereis accenſis bini, primò iuniores, deinde per ordinem ſeniores, vltimus omnium Celebrans medius inter Miniſtros, duobus

Acoly-

Acolythis continuò Sanctiſſimum Sacramentum,modo præſcripto ſupra, incenſantibus.

4 Prælati habent locum poſt Celebrantem, ſi adfuerint, cum intorticijs pariter accenſis, primò digniores, deinde minus digni. Similiter haſtas Baldachini, quæ ſunt anteriores in facie Celebrantis, Nobiliores geſtant, poſteriores; minus nobilibus dantur. ita *Cærem. Papæ lib. 2. cap.* 14. ita *Cærem. Ep. lib.* 1. *cap.* 14. conuenit tamen, vt à Sacerdotibus noſtris hodie, & ſequenti die, haſtæ prædictæ deferantur Pluuialibus, vel ſaltem ſuperpelliceis etiam ſine ſtola indutis. ex *Cærem. Ep. lib.* 2. *cap.* 25. *&* 26. referente Gauanto.

5 Cum peruentum fuerit ad locum præparatum, deferens Crucem, in loco congruo, non quidem in ipſo loco, in quo reponi debet Sacramentum, ſed è conſpectu ſe ſiſtit, reliqui verò hinc inde ordine ſeruato nimirum iuniores propè Crucem, ſeniores verò loco proximiores (quod eſt aduertendum) quo Sacramentum reponi debet. Celebrans cum ad locum peruenerit aliquantulum ſubſiſtit ante gradus, omnibus interim (exceptis deferente Crucem cum Ceroferarijs, qui ſemper ſtare debent) circum circa genuflexis, Choro cantante, vt ſupra; vel ſi completus fuerit Hymnus, quoties opus fuerit, repetendo, *Tantum ergo Sacramentum*, donec fuerit repoſitum, & incenſatum Sacramentum. Deferentes quoque Baldachinum ſiſtunt, & à deputatis haſtæ Baldachini accipiuntur, qui ipſum loco congruo reponunt.

6 Diaconus Sanctiſſimum Sacramentum de manu Celebrantis cum debitis reuerentijs, remouendo velum, accipit, & expectat donec Celebrans reuerenter ante ipſum genuflectat, tum Calicem in arcula reponit, nec Oſtiolum claudit, ſed, adorato Sacramento, ad Celebrantem reuertitur. Interim Subdiaconus amouet velum ab humeris Celebrantis, deinde à ſiniſtris eiuſdem genuflexus ſiſtit.

7 Hoc loco aduertendum, quod Calix non debet à Po-

pulo

pulo videri, & minus Hoſtia, ideo Rub. dicit ( in capſula ) cuius clauis nulli ſæculari dari debet, quantumuis Nobili, ex *Decr. S. Rituum Congreg.* 30. *Ianuarij* 1610. ſed ei potius, qui celebraturus eſt ſequenti die, vel Magiſtro Cæremoniarum, quod commodius eſt.

8 Reuertente verò Diacono poſt repoſitum Sacramẽtum, ſurgant Celebrans, ac Subdiaconus,& Diacono Nauiculam miniſtrante, Subdiacono verò Pluuialis fimbriam eleuante, imponit thus in Thuribulum ter, nihil dicens, neque benedicens: tunc genuflectens, miniſtris hinc inde pariter genuflexis, ac fimbrias Pluuialis eleuantibus, triplici ductu cum debitis inclinationibus Sanctiſſimum Sacramentum incenſat, vt ſupra; interim à Choro cantabitur *Tantum ergo Sacramentum*, vel *O ſalutaris hoſtia*. ita *Cærem. Ep. lib.* 2. *cap.* 23.

9 Incenſato Sacramento, & reddito, vt moris eſt, Thuribulo Diacono, & Diaconus Thuriferario. Diaconus claue claudit capſulam, ( clauis autem traditur, vt ſupra ) iterumque rediens à latere Celebrantis genuflectit.

10 Vbi aliquantulum orauerint, Celebrante ſurgente, reliqui quoque conſurgunt, & in Chorum recta via procedentes, præcedunt Thuriferarij; poſt eos ſequitur deferens Crucem medius inter Ceroferarios, deinde reliqui bini per ordinem extinctis cereis.

11 Si in Altari remanſerint Hoſtiæ conſecratæ pro communicandis, per deputatum ad Communionem, vel per Sacriſtam, præcedentibus Acolythis cum intorticijs accenſis, in aliquo Sacello, vel loco remoto propè Sacriſtiam cum luminibus, & clauibus reſeratæ decenter cuſtodiri debent pro communicandis Infirmis. In Altari verò, vbi ſolet Sanctiſſimum Sacramentum aſſeruari, Ciborij Oſtiolum ſit apertum. quod erit ſemper obſeruandum quandocunq. in ipſo Ciborio Hoſtia conſecrata non aſſeruatur. Acolythi tandem, qui Miſſæ ſolemni inſeruierunt, Miſſalia, Calicem, & reliqua omnia in Sacriſtiam reportant. Ciborium

verò

verò denudatis Altaribus, conopeo obſcuro cooperietur; ipſius Oſtiolo aperto. in medio autem Crucem collocando velo nigro tectam.

## *De Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti feriæ ſextæ in Paraſceue.* Cap. XIV.

DVm fit adoratio ad Crucem diſcoopertam, luminaria in ſacello, vbi repoſitum pridie fuerat Sanctiſſimum Sacramentum, & alia ita diſponuntur, vt commodè poſſit locus adiri, & ſublato quocunque impedimento Calix inde reportari, & ibidem præparandum quoque eſt velum album oblongum pro Celebrante, & Baldachinum, Nauicula cum Thure, & alia huiuſmodi neceſſaria.

2 In Sacriſtia alius Subdiaconus, qui Crucem (diſcoopertam tamen) deferat, Amictu paretur, Alba, Cingulo, & Planeta plicata nigri coloris, & Ceroferarij cum candelabris, & cereis accenſis ceræ communis cum Cruce procedunt, duobus Acolythis cum Thuribulis præcedentibus Subdiaconum, ſine incenſo per viam breuiorem.

3 In Altari pariter accendendi erunt cerei ex cera communi, non alba. Diaconus indutus Stola latiori nigri coloris præcedente Cæremoniario, accipiens ex Credentia burſam Corporalium cum purificatorio eleuatam ante oculos defert ad Altare, ibique cum debitis reuerentijs Corporale in medio expandit, burſam à latere Euangelij, purificatorium à latere Epiſtolæ propè Corporale reponens. Interim Acolythus librum cum puluino à latere Epiſtolæ ad latus Euangelij transfert, quem Diaconus voluit, & ſignacula diſponit, & tandem, completa adoratione; accedens ad Crucem ipſam cum debitis reuerentijs vtraque manu acceptam in medio Altaris reuerenter reponit, ac denique ad Celebrantem redit, Acolythi remouent tapetum cum puluino.

4 Pro Proceſſione diſtribuuntur cerei, ſeu intorticia

ceræ

ceræ communis; vt ſupra, accendenda ſolum vbi ventum fuerit ad locum Sacramenti. Celebrans accipit Caſulam nigri coloris, ac Subdiaconus Planetam plicatam, Diaconus verò ſtolam latiorem nigram. Procedunt more ſolito Thuriferarij primo cum Thuribulis, & prunis accenſis, ſed ſine incenſo in eis poſito, reliqui per ordinem, vltimus Celebrans medius inter Miniſtros, tecto capite, donec perueniat ad locum Sacramenti.

5 Ad locum Sanctiſſimi Sacramenti, vbi peruentum fuerit, deferens Crucem, & alij ſiſtunt ſe, vt ſupra, ibique omnes genuflexi orant, exceptis Subdiacono, qui defert Crucem, & Ceroferarijs. Interim accenduntur cerei, ſiue intorticia.

6 Thuriferarij cum miniſtris aſcendunt ad locum, vbi Sacratiſſima Hoſtia aſſeruatur, ibique Celebrans detecto capite, genuflexus cum alijs aliquantiſper orat. Deinde Diaconus cum debitis reuerentijs aperit capſulam; ac Celebranti ſurgenti miniſtrat incenſum vt ſupra, hoc eſt, ſine benedictione, & oſculis, & Sanctiſſimo Sacramento à Celebrãte genuflexo incenſato, Subdiaconus velum ſuper humeros eius adaptat. Diaconus verò interim acceptum Calicem, in manus Celebrantis dat, atque veli extremitatibus tegit, qui vtraque manu Sacramentum ante oculos eleuatum tenẽs conuertit ſe ad populum, aſſiſtentibus ſibi Diacono à dextris, & Subdiacono à ſiniſtris, & tunc Cantoribus inchoantibus Hymnum, *Vexilla Regis prodeunt*, omnes ſurgentes ad Altare procedunt ordine ſuo, Thuriferarijs, vt ſupra, continu è Sacramentum incenſantibus.

7 Cum ad Altare peruenerint, deferens Crucem recedit, & eam reponit, nam adeſt iam Crux in Altari inter Candelabra. Baldachinum quoque à deputatis, vt ſupra, aſportabitur, & omnibus interim genuflexis, Celebrans ante infimum gradum ſiſtit Altaris, Calicemque in manus Diaconi ſtans tradit, qui cum debitis reuerentijs, prius amotis veli extremitatibus, illum accipiens ſuper Corpo-

rale in Altari reponit, genufleƈtit, & deſcendit; Subdiaconus verò acceptum velum ex humeris Celebrantis Acolytho ſuper Credentiam reponendum porrigit, & redeunte Diacono; Celebrans ſurgens imponit incenſum, mox genuflexus triplici duƈtu Sanƈtiſſimum Sacramentum incenſat, deinde reliqua proſequitur, vt in Miſſali. Recedit autem alter ex Thuriferarijs poſt hanc incenſationem. ita Gauantus.

* * *

*Primæ Partis Finis.*

CAERE-

# CAEREMONIALIS
## SECVNDVM ORDINEM
## S. R. ECCLESIAE

*Ex Praxi Cæremoniarum, & Commentarijs in Miſſalis, & Breuiarij Rubricas.*

De ijs, quæ pertinent ad Sacrificium Miſſæ priuatum, & ſolemne.

## PARS SECVNDA.

### *De modo legendi Miſſam priuatam.* *Cap. I.*

DE Præparatione ad Miſſam priuatam ſatis ea ſunt, quæ in Miſſali habentur. Legens autem Miſſam Sacerdos, clara, & intelligibili voce, expeditè, atque diſtinctè ad puncta morulam aliquam, breuem tamen, interponat, non nimis tardè, nec celeri curſu, ſed mediocritatem in omnibus ſeruet, voce quidem, nec omnino depreſſa, neque admodum eleuata, vel clamoroſa, omnem prorsùs affectationem euitando, nec minimum quidem præſcriptis regulis addendo, vel demendo.

2 Clara, & intelligibili voce dicuntur in Miſſis priuatis Antiphona cum Pſalmo, & Confeſſio cum ſequentibus verſibus vſque ad orationem, *Aufer*, &c. *Oramus te Domine*, &c.

quæ ſecretò dici debent; dicuntur poſtmodum clara voce Introitus, *Kyrie eleiſon, Gloria in Excelſis*, &c. *Dominus vobiſcum*, *Flectamus genua*, *& Leuate*, Oratio, vel Orationes, Epiſtola, Graduale, Verſus, Tractus, Sequentia, Euangelium, Credo, Offertorium, Præfatio; *Per omnia ſæcula ſæculorum, Pater noſter, Pax Domini, Agnus Dei*, Communio, Oratio, vel Orationes poſt Communionem, & in ferijs Quadrageſimæ, *Humiliate capita veſtra Deo*; *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, ſeu *Requieſcant in pace*. Benedictio, & Euangelium Sancti Ioannis, vel aliud Euangelium.

3 In ijs, quæ clara voce dicuntur, obſeruare oportet, cum plures in anguſtiori Eccleſia Sacerdotes proximo loco celebrant, vt vocem ita moderari ſtudeant, ne inuicem turbentur; maximè verò decet, vt in hoc inferior ſuperiori cedens, humiliori tono legenda modificet.

4 Mediocri voce dicitur finis Prefationis, videlicet, cum dicitur *Sanctus*, vno tantum tono deprimendo vocem.

5 Aliquantulum eleuata voce dicuntur inter ſecreta aliquæ particulæ, vt ſunt, *Orate Fratres*, &c. *Nobis quoque peccatoribus*, &c. *Domine non ſum dignus*, &c. quæ tantùm verba, clara voce dici debent; reliqua verò, quæ ſequuntur, ſecretò proſequi oportet.

6 Quæ verò reliquæ ſunt priuatæ Miſſæ Cæremoniæ, ac ritus, cum ſatis illud videatur eſſe, quod in Miſſali præſcriptum fuit, aliquæ tantùm circa eam obſeruationes magis præcipuæ videntur addendæ.

## *De quibuſdam obſeruationibus in Miſſa priuata.* Cap. II.

VBi dicitur, quod ſignet ſe Sacerdos à fronte ad pectus, hoc debet intelligi; & ab humero ſiniſtro ad dexterum, manum, digitis iunctis, ad ſe conuerſam extendendo, ſiniſtra infra pectus retenta.

2 Caput inclinare verſus Crucem, eſt caput tantùm, non autem perſonam ad Crucem conuertere.

3 Altare ad Orientem eſt, in quo Celebrans habet Crucem, & populum ante faciem ſuam.

4 Ad Orationes, quas dicit Celebrans Pluuiali indutus, non diſiunguntur, neque extenduntur manus.

5 In Miſſa, quæ coram multis Prælatis æqualibus celebratur, nulli dabitur oſculandus liber Euangeliorum, neque etiam Celebrans oſculabitur, quod ſi fuerint inæquales, offeretur tunc digniori tantum, ſed hoc ante Offertorium, etiam ſi non dicatur *Credo*, & nulla ante fit reuerentia Prælato, ſed ſolum poſtquam ille oſculatus fuerit, clauſo ſtatim libro. Non defertur Vicario Apoſtolico. Principibus autem magnis ex tolerantia ſolum; nullo autem modo inferioribus laicis ſæcularibus; & illis alius liber deferendus eſt, non idem ipſius Celebrantis, qui proprium eo caſu oſculari debet librum.

6 Quando ſignatur liber Euangeliorum ſiniſtram manum ſuper Altare teneat Celebrans; mox ſignando ſe, eamdem inf. pectus teneat, ſtatim manus iungendo; ſed ad *Dominus ſit in corde meo*, quando dici debet, non ſe ſignat.

7 Velum Calicis ad Offertorium plicari debet à Miniſtro, & propè tabellam ſecretarum, à parte Calicis, extra Corporale deponi.

8 In eleuatione Calicis ad Offertorium aduertatur, ne cuppa Calicis excedat oculos, neuè ſit inf. eos, neque frontem tangat; aut pedem eius, etiam in eleuatione eius poſt Hoſtiam, oſculari præſumat Sacerdos, ſed rectam lineam formando intra Altare, & ſuper Corporale eleuabit.

9 In efformandis Crucibus ſuper oblata, duæ lineæ formentur æquales, non autem quatuor puncta: lineæ verò non excedant menſuram palmi communis manus; & pars tranſuerſa Crucis fiat manu quoque tranſuerſa, non recta.

10 Manutergium, ſeu ſudariolum ad *Lauabo*, aliquantu-

lum

lum ab Altari à Miniſtro eleuetur, vt à Sacerdote commodius capi poſſit.

11 Ad *Confiteor* in Miſſa, ſiue in Officio nullum extat Priuilegium, vt nomen in eo alicuius Sancti ex propria deuotione adiungatur. Qui igitur aliter nunc facit, indiſcretè facere videtur.

12 In Canone Miſſæ, & benedictione Cerei, nomen Antiſtitis, eſt nomen tantum Epiſcopi ordinarij loci, vbi Miſſa celebratur, & non alterius cuiuſlibet.

13 Ad *Hanc igitur Oblationem*, palmæ ita debent eſſe apertæ, vt pollicem dextrum ſuper ſiniſtro teneat Sacerdos in modum Crucis poſitum.

14 Hoſtiam ſacram, vt adoretur, non diù eleuatam teneat Sacerdos, & dum conſecratur, caueat, ne ita in ſuis manibus eleuetur, vt videatur. ſimili modo, & Calicem.

15 Miniſter partem illam poſteriorem Planetæ, & inferiorem, quam manu ſiniſtra ad eleuationem Hoſtiæ, & Calicis eleuabit, eam deponendo, non oſculetur.

16 Hoſtia ſacra in ſacrificio Miſſæ nunquam Palla tegatur.

17 Manus iunctæ poſt conſecrationem ſuper Altare, intelliguntur iunctis inter ſe pollicibus, & indicibus inuicem, & paruis digitis frontem Altaris tangentibus.

18 Ad *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum N. N.* pauſa fit, non poſt dictas litteras, ſed poſt verba *in Somno pacis*.

19 Ad *Oremus* ante *Pater noſter*, non ad *Præceptis ſalutaribus moniti*, caput inclinat Sacerdos, illud ſtatim erigendo.

20 Poſt conſecrationem, pectoris tunſio fit cum tribus tantum digitis inferioribus, & vltimis.

21 Particula, quæ ex dimidiata parte Hoſtiæ iam fractæ præciditur, inhærendo probatis rationibus, & auctoritatibus, præcidenda erit à ſuperiori latere, non autem ab inferiori.

22 Si-

Digitized by Google

22 Signans ſe Sacerdos cum Calice Sanguinem ſumpturus, dextera tantum manu Calicem moueat, ſiniſtra Patenam tenens, quam non ſupponit Calici, niſi tunc, quando ſanguinem ſumit.

23 Sumendo ſanguinem, poteſt ( ſecundum aliquos ) ter Calicem ori admouere; vnico tamen hauſtu, vt eum ſumat decentiùs videtur, vnà cum Particula, neque poſtmodum lambat amplius Calicem. nam, ſi quid remanſerit, purificatione, & ablutione ſumet.

24 Miniſter non extinguat cereum pro eleuatione accenſum, niſi poſt ablutionem manuum Sacerdotis, qui ſemper vino, & aqua ſimul vtetur ad abluendos digitos ſuper Calicem, & ſumat in medio ſtans Altaris.

25 Velo, ſicut totum Calicem in principio Celebrans velauit; ita, & in fine illum etiam in anteriori parte totum, ne amplius videatur, cooperiet: quod non caret myſterio.

26 In Euangelio S. Ioannis in fine Miſſæ ſignabit Altare (modo Sacram. non ſit expoſit.) aut librum, aut folium, & ſe ipſum Sacerdos in fronte, ore, & pectore: ſed expediet ſanè, vt folium ſeorſim adſit, in aliqua tabella affixum, & conglutinatum, non tamen oſculabitur illud in fine, & ſemper legitur in Miſſis votiuis.

27 Neque ſudariolum, ſeu manutergium, aut quidquam aliud ſuper burſam ponatur.

28 Si Celebrans ſit habiturus concionem ad Populum, lecto primo Euangelio, ſedebit ſemper; vel in pulpito, depoſita Caſula, concionari poterit.

29 Quando dicit Rubrica aliqua, quod Sacerdos caput inclinet, tunc inclinabit tantùm caput, non humeros, cum dicit ( inclinet ) inclinabit etiam humeros, cum dicit ( inclinat profundè ) toto corpore inflexo, inclinabit.

30 Patenam cum extergit à fragmentis ſuper Calicem ante ſumptionem ſanguinis, non eam ſuper dictum Calicem inuertat.

31 In Oratione *A cunctis*, litera N. nomen deſignat, &

exi-

exigit Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, vbi celebratur.

32 In tertia Oratione ad libitum, cauere debet Sacerdos pro ſua modeſtia, ne coram Prælato, ſeu Principe dicat Orationem, quæ habet titulum, pro ſe ipſo Sacerdote.

33 In Miſſa votiua de Patrono, vel Titulari, ſi dicenda ſit Oratio *A cunctis*, tunc in littera N. vice illius nominari poterit alius Sanctus pro deuotione. In qua Oratione nomina Patronorum S. Michaelis, vel S. Ioannis Baptiſtæ præponi debent Apoſtolis. *Sac. Congr. Rit.* 22. *Aug.* 1620.

34 Ritus ille dicendi quatuor Orationes in Dominicis, & ferijs Quadrageſimæ, prima de feria, ſecunda de Vigilia, vel feſto ſimplici, tertia *A cunctis*, quarta *Omnipotens*, minimè probatur, vel igitur quinta eſt addenda, vel quarta demenda, vt ſit numerus Orationum impar.

35 In Feſtis primæ Claſſis excluditur quælibet alia oratio, ſeu Commemoratio etiam publica cauſa ordinata, niſi à Papa, vel ſacra Rituum Congregatione fuerit aliter conſtitutum.

36 Miſſæ votiuæ inf. octauam Natiuitatis Domini, non habebunt aliam Præfationem, quàm de Natiuitate, ſicut & Feſtum S. Ioannis Euangeliſtæ.

32 Dantur aliqui Caſus, quibus Communicantes inf. actionem à ſua Præfatione ſeparantur; nam inf. octauam Aſcenſionis, ſi occurrat Feſtum Sanctorum Philippi, & Iacobi, Præfatio erit de Apoſtolis: Communicantes, de Aſcenſione, licet in Miſſa nulla fiat commemoratio. Idemq. accidere poteſt in Inuentione S. Crucis, & in Miſſis votiuis, quæ dicuntur infr. eandem octauam, & habent Præfationem propriam: ita *Sac. Rit. Cong die* 28. *Aug.* 1627. neque enim, ideo vnitur Communicantes Præfationi, vt vnà ſimul vel dicantur, vel ommittantur, ſed vt facilius vtrumque reperiatur.

38 Miſſa non ſatis decenter celebratur in eo Altari, in quo expoſitum ſit Sanctiſſimum Sacramentum, niſi tunc in ea reponendum ſit, & oratio abſoluenda. & in eo pariter Sacello vbi requieſcit Sanctiſſimum Sacramentum, non eſſent Miſſæ celebrandæ.

De

## *De præparandis in Miſſa ſolemni, & ingreſſu Sacerdotis cum Miniſtris ad Altare. Cap. III.*

### Rubr. Miſſal. II. 5.

*IN Miſſa ſolemni Miſſale apertum ſuper Altare, Calix verò, & alia neceſſaria præparentur in Credentia coopert linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipſe autem procedit cum Diacono, & Subdiacono, qui capite cooperto, ſimul cum eo tenent manus iunctas ante pectus; Acolythi verò ante eos deferunt Candelabra cum candelis accenſis, quæ deinde collocantur ſuper Credentia: & cum peruenerit ad infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, antequam aſcendat ad Altare, facit cum ipſis (vt infra) Confeſſionem.*

1 Pro Miſſa igitur ſolemni (quæ in Duplicibus, & Semiduplicibus, ac pariter in Dominicis, & infra octauas, dicta in Choro Tertia, celebrari debet; in ſimplicibus autem, & ferijs per annum, dicta Sexta; In ferijs verò Quadrageſimæ, Aduentus, Quatuor temporum, & Vigiliarum quamuis ſint dies ſolemnes poſt Nonam) præparentur ſummo mane in Sacriſtia Thuribulum cum Nauicula, Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio. (ſi fuerit dies Dominicus.) Item & in aliquo remoto loco, vt putà à tergo Altaris in Choro aliud vas ſuo tempore cum carbonibus accenſis, & forcipibus pro vſu Thuribuli, deinde funalia, ſeu intorticia pariter in Choro pro eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti accendenda.

2 Acolythus, vel Thuriferarius opportuno tempore lotis manibus, ac ſuperpellicco indutus, omnia paramenta in ſcamno Sacriſtiæ iam per Sacriſtam præparata, locis ſuis diſponet, Celebrantem, & Miniſtros expectabit, ipſoſque, dum dicitur Tertia, ſacras veſtes accipientes adiuuabit.

3 Sub finem Tertiæ Acolythus accipiens à Sacriſta Pul-

uinum, Miſſale cum ſuis integumentis coloris paramentorum, deſuper imponens velum, ac mappulam pro ampulis, ambabus manibus eleuata defert ad Altare, ibique facta genuflexione, ſingula ſuis locis diſponit: Puluinum videlicet, & Miſſale apertum ſuper Altare à latere Epiſtolæ: ſupra Credentiam verò ex vna parte velum, ac deſuper librũ Euangeliorum; ex altera peluiculam, ampullas, ac mappulam imponit, omnia ita diſponens, vt locum pro Candelabris hinc inde relinquat; In medio autem reponit Calicem, ac tandem circa finem Tertiæ accendit cereos.

4 Credentia verò erit à latere Epiſtolæ, breuis, demiſſa, ſimplex ſine gradibus, ſine imaginibus, & ſine Cruce; neque in ea quidquam aliud ponetur, præter ea, quæ dicta ſunt, & alia huiuſmodi neceſſaria; ita *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 12.

5 Poſt Tertiam igitur, vel aliam Horam iuxta temporum exigentiam, omnes parati erunt in Sacriſtia; inde ad Altare proceſſuri egrediuntur, primi omnium Thuriferarius, & Acolythus, ſi adſit, Thuriferarius quidem à dextris Acolythi, portans Thuribulum dextera manu, illud tenens per manubrium, ſiue in annulum maiorem pollice immiſſo, ſimulque cooperculi, ſeu catenæ mediæ annulum digito annullari ſuſtentans; ſiniſtra verò manu Nauiculam tenens, hoc eſt, pede eius accepto, itaut pars illa, quæ aperitur, pectus reſpiciat, vtramque manum cum incedit æqualiter eleuatam tenendo, & ſuperpelliceo ſuper brachia aliquantum reflexo; poſtea ſequuntur Ceroferarij, ſtatura pares, cum candelabris accenſis, quæ ita accipiant, vt qui à parte dextera incedit, ponat dexteram in medio candelabri nodo, ſiniſtram verò in pede; & qui ad ſiniſtram incedit, e contra accipiat ſiniſtra globum, dextera pedem teneat. idem ferè obſeruantes in deferendis intorticijs. deinde Cæremoniarius (vt in *Cær. Ep. lib.* 2. *c.* 3. in caſu ſimili, referente Gau.) poſt Cæremoniarium Subdiaconus venit, & Diaconus poſt illum, vltimus omnium Celebrans, & hi tres

omnes

omnes capite cooperto, & iunctis manibus ante pectus. Sed pares omnes, ſi Celebrans pro aſperſione aquæ benedictæ fuerit Pluuiali indutus, cuius fimbrias in eundo eleuatas hinc inde tenebunt Miniſtri, & nulli alij erunt parati; vt *Cær. Ep. lib. 1. c. 15. propè finem*.

6 Cum peruenerint ante Altare, Thuriferarius, vel Acolythus; ſi ibi fuerit in medio plani, Ceroferarij verò hinc inde aliquantulum in gradibus Altaris diſtantes aditum præbent Miniſtris, ac Celebranti, qui non ſupra gradus, ſed in eodem plano Capellæ aperto capite, & caputium eius Cæremoniario, vel ſi abſit, Acolytho adaptante, vnà cum alijs reuerentiam Cruci, vel genuflexionem Sanctiſſ. Sacramento facit, & tunc ſtatim recedentibus Ceroferarijs, *ex Cær. Ep. lib. 2. cap.* 8. qui candelabra cum candelis accenſis in cornibus menſæ anterioribus collocabunt, Confeſſionem ſubmiſſa voce facit, ad quam genuflectunt ipſi Ceroferarij, & Thuriferarius propè Credentiam. Interim dum fit confeſſio ceſſat ſonitus Organorum, & à Choro incipitur Introitus. Cæremoniarius verò, ſi adeſt, poſt Miniſtros, vel etiam à latere ad functionem ſuam commodiori. quod ſi fuerit dies Dominicus, aſperſio fiet, vt infra ſuo loco.

7 Celebrans hoc loco meminerit, quod præter ea, quæ ſonora voce debet cantare, reliqua, quæ in Miſſis priuatis dicuntur clara voce, in Miſſa ſolemni recitabit ſubmiſſa voce, itaut à Miniſtris aſtantibus, non autem ab alijs audiatur; illa verò, quæ ſonora voce intonari debent, ſunt in Rubrica Miſſalis ſatis expreſſa.

8 Meminerint & Miniſtri omnes, quod, licet in Altari non fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, nihilominus genuflectunt Cruci in tota Miſſa.

9 In fine Confeſſionis, dicto à Celebrante *Oremus*, omnibus ſurgentibus, ipſe aſcendit ad Altare, Miniſtris anteriores veſtium eius fimbrias eleuantibus, videlicet, Diacono ſiniſtra, Subdiacono autem dextera manu. Altari ab eo tantum oſculato, ac miniſtrato incenſo, proceditur ad in-



Digitized by Google

cenſandum Altare, vt infra in ſequenti Rubrica.

10 Obſeruent præterea Miniſtri, quod non oſculantur Altare, ſed neque tangunt illud, ſuo autem quiſque loco genuflectit, & ſtatim ſurgit.

## *De obſeruandis in Thurificatione Altaris, in Miſſa ſolemni. Cap. IV.*

### Rubr. Miſſal. IV. 4.

IN *Miſſa ſolemni Sacerdos facta Confeſſione aſcendit cum Miniſtris ad medium Altaris: vbi dicto* Oramus te Domine, *& oſculato Altari ponit incenſum in Thuribulum, miniſtrante Diacono nauiculam, & Thuriferario thuribulum. Diaconus parum inclinatus verſus Celebrantem dicit:* Benedicite Pater Reuerende. *& oſculatur cochlear, & manum Celebrantis ante, & poſt. Celebrans ter incenſum ponit in thuribulum, dicens interim:* Ab illo benedicaris. *& depoſito cochleari, producens manu dextra ſignum Crucis ſuper thus in thuribulo, illud benedicit. Poſtea Diaconus dimiſſa nauicula, accipit thuribulum, & dat Celebranti, oſculata prius catenularum ſummitate, & manu illius dextera: Qui facta Cruci profunda reuerentia eam ter incenſat, nihil dicens; & facta iterum Cruci reuerentia, incenſat Altare, ter ducens thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra à medio eius vſque ad cornu Epiſtolæ: vbi demiſſa manu, thurificat illius poſtremam partem inferiorem, mox ſuperiorem, bis ducto thuribulo: & conuerſus ad Altare, eleuans manum incenſat eius planitiem, ſeu menſam in parte anteriori, ter ducens thuribulum, vſque ad medium: vbi facta Cruci reuerentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu vſque ad cornu Euangelij: & pariter incenſata inferiori, & ſuperiori parte ipſius cornu Euangelij duplici ductu, eleuans thuribulũ ter incenſat ſuperiorem tabulæ partem verſus medium Altaris, vt fecit in cornu Epiſtolæ, deinde manu aliquantulum demiſſa, incenſat*

Digitized by Google

*cenſat anteriorem eius partem, ſeu frontem à cornu Euangelij ter ducens thuribulum vſque ad medium Altaris: & facta Cruci reuerentia, incenſat reliquam partem anteriorem vſque ad cornu Epiſtolæ: vbi reddito thuribulo ipſi Diacono, ab eo ipſe ſolus incenſatur.*

1 Celebrans quando miniſtrandum eſt incenſum, vertit ſe facie conuerſa ad latus Epiſtolæ, & Acolythus, alioquin Thuriferarius Nauiculam apertam ſine oſculis offert Diacono ſtanti à dextris Celebrantis, poſtquem ſtat Subdiaconus iunctis manibus ante pectus; Thuriferarius aſcendit ſupra gradus Altaris aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ, ſuſtenanſque ſiniſtra annulum maiorem Thuribuli, dextera eleuato annulo minori operculi, eadem manu catenulas inter operculum, & Thuribulum complectetur, ſtans inclinatus illud flexo quaſi genu dextero, ita æqualiter eleuatum ad Nauiculæ altitudinem ante Celebrantem tenet, vt ab eo commodè poſſit ex Nauicula in illud immitti thus. Diaconus interim ambabus manibus tenens Nauiculam apertã, & ad Celebrantem conuerſus parum inclinatus, dicet: *Benedicite Pater Reuerende:* & ſtatim oſculatur cochlear, manumque Celebrantis, vt in Rubrica.

2 Celebrans quando incenſum ponit in Thuribulum, debet ſiniſtram pectori admouere, & dextera incenſum ex Nauicula ſumere, & Diaconus rurſum manum, & cochlear oſculari. Poſtea Diaconus Nauiculam reddit Acolytho, ſi adſit; Thuriferarius autem, demiſſo operculo, tradit manu dextera ſine oſculis per annulum maiorem Thuribulum Diacono: ille autem dextera tenens ſummitatem catenularum, ſiniſtra verò vas prope operculum, ſummitatẽ catenularum Celebrantis ſiniſtræ porrigit; partem vero inferiorem propè Thuribulum dexteræ, quam oſculatur imponit; quod ſemper, cum miniſtratur incenſum, obſeruabitur.

3 Impoſito incenſo in Thuribulum conuertit ſe Celebrans ad Altare, & incenſat, vt in ſuperiori Rubr. quando autem

autem thurificat cornu Epiſtolæ, liber de Altari remouetur per Cæremoniarium, ſi adſit, alioquin per Thuriferarium, qui eum reſtituit ſtatim, quod ſimili modo facit, quando poſt incenſationem oblatorum incenſatur cornu Euangelij. Diaconus autem in accipiendo Thuribulum à Celebrante, vt eum incenſet, oſculatur primò manum eius, tum catenularum ſummitatem, eumque incenſat, profunda inclinatione exhibita ante, & poſt. Celebrans verò ei minimè inclinat, ne modicum quidem. Subdiaconus autem ſtat contra cornu Epiſtolę, neque Celebranti vllo modo caput inclinat cum Diacono.

4 In actu thurificationis grauiter, & decorè ſe geret, & ipſa thurificatio fiat ſemper tractim, modeſtè, quietè, & ſine ſtrepitu, ac ſine properatione, vt habetur in *Cæremon. Rom. lib. 3. ſect. 5. c. 2.* non perſonam, non caput, cum ducit, ac reducit Thuribulum, vllo pacto moueat. Siniſtram, qua ſummitatem catenularum tenet, immobilem propè pectus collocet; dexteram verò decorè, ac tractim cum Thuribulo moueat, quod ad ſe trahens, ſub brachio leuiter, ac competenti mora reducet; & dum thurificando Altare procedit, aduertat, quod proximiorem Altari pedem prius mouendo, tot omnino paſſus, quot Thuribuli tractus perficiat.

5 Facta incenſatione Thuriferarius in Sacriſtiam reuertitur.

## *De Reliquiarum, ſeu imaginum Sanctorum incenſatione in Miſſa ſolemni, & quando ibi adſit Tabernaculum Sanctiſſ. Sacramenti. Cap. V.*

### Rubr. Miſſ. IV. 5.

*SI verò in Altari fuerint Reliquiæ, ſeu imagines Sanctorum incenſata Cruce, & facta ei reuerentia, antequam diſcedat à medio Altaris, primum incenſat eas, quæ à dextris ſunt,*

*ſunt, ideſt à parte Euangelij propè Crucem, bis ducens Thuribulum, & iterum facta Cruci reuerentia, ſimiliter incenſat bis alias, quæ ſunt à ſiniſtris, hoc eſt, à parte Epiſtolæ: deinde proſequitur incenſationem Altaris, vt ſupra, ter ducens Thuribulum in vnoquoque latere, etiamſi in eo eſſent plures Reliquiæ, vel imagines, ſeu etiam plura, vel pauciora candelabra.*

*Si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, accepto Thuribulo, antequam incipiat incenſationem, genuflectit, quod item facit quotieſcunque tranſit ante medium Altaris.*

1 Reliquiæ, vel imagines Sanctorum (ſtatuæ, ſcilicet, non figuræ in muro depictæ) ſi ibi fuerint, incenſantur.

2 Quod ſi in eo Altari ſit Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo, Celebrans, accepto Thuribulo, antequam incenſet cum Miniſtris genuflectit, quod etiam facit quotieſcunque tranſit ante medium Altaris; deinde proſequitur incenſationem, vt ſupra.

3 Quod ſi fuerit expoſitum extra Tabernaculum; ſtans immittit incenſum cum benedictione, (quoniam Altare eſt incenſandum, quod regulariter fit ad Veſperas, & ad Miſſam) deinde in ipſo gradu Altaris genuflexus Thuribulum à Miniſtris cum oſculis accipit, & facta prius profūda inclinatione, ter grauiter, ac moroſè ducens Thuribulum, incenſat.

4 Quod ſi Sanctiſſimum Sacramentum tantummodo fuerit incenſandum, obſeruabitur, quod ſupra dictum fuit in Expoſitione, & Proceſſione Sanctiſſ. Sacramenti, nimirum, quod tunc ſine benedictione, & oſculis incenſum, & Thuribulum miniſtratur.

5 Aduertendum inſuper, quod in Nauicula, ſolum, ac purum thus debet poni, aut ſaltem thus cætera aromata, ſi imponantur, excedat.

De

## *De Introitu Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis in Miſſa ſolemni. Cap. VI.*

Rubr. Miſſal. IV. 7.

D*Iaconus, & Subdiaconus hinc inde aſsiſtunt Celebranti, dum incenſat, & cùm tranſeunt ante Crucem ſemper genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono à dextris eius, Subdiacono à dextris Diaconi ſtantibus in cornu Epiſtolæ, legit* Introitum, & Kyrie eleiſon. *Cum verò intonat hymnum* Gloria in excelſis Deo, *Diaconus, & Subdiaconus, vnus poſt alium ſtant à tergo Celebrantis: poſtea aſcendunt ad Altare, & hinc inde Diaconus à dextris, & Subdiaconus à ſiniſtris, cum Celebrante hymnum ſubmiſſa voce proſequuntur vſque ad finem. Quod etiam ſeruatur, cum dicitur* Credo, *& cùm dicitur* Dominus vobiſcum, Oratio, Præfatio, & Pater noſter, *Diaconus, & Subdiaconus ſimiliter ſtant vnus poſt alterum à tergo Celebrantis.*

1 Celebrantis Planetam, dum incenſat, eleuant hinc inde Miniſtri, hoc eſt partem illam Planetæ, quæ eſt circa brachia Celebrantis, & alteram manum interea ipſi, in eo actu, pectori admotam tenere debent.

2 Poſt incenſationem Celebrans ſubmiſſa voce legit Introitum ſolus, & nō Miniſtri, quo dicto ipſi in eodem loco alternatim reſpondent ad *Kyrie eleiſon*; deinde ſi ſedendum fuerit, ſedent in ſcamno oblongo, vel in ſedibus ad hoc à latere Epiſtolæ præparatis, quarum media pro Celebrante altior ſit, & nobilior, cum puluino. Hi verò omnes deſcendūt per breuiorem viam ab eodem latere Epiſtolæ vnus poſt alium facta prius debita reuerentia in proprio loco tantum, vnde diſcedunt. Sedent autem capite operto, quod tamen aperitur ad verba illa, quibus eſt inclinandum, dum cantatur à Choro. Alij quoque Miniſtri inferiores ſedeant

in

in aliquo ſcamno pro ipſis præparato, vel ſup. gradus Altaris (quod magis congruit) facie ad Celebrantem conuerſa.

3 Cum autem in Choro cantabitur vltimum *Kyrie*, Celebrans procedens ad medium Altaris, & Miniſtri ad ſuum quiſque locum, ſcilicet, Diaconus ſuper ſecundum gradum, Subdiaconus in plano capellæ, clara, ac ſonora voce cantat *Gloria in excelſis Deo*. & tunc Miniſtri ſtatim aſcendunt ad illum, facta prius genuflexione in eodem loco, vbi ſtant, quæ poſtea non eſt iterum repetenda ad Altare.

4 Hymno vnà cum Miniſtris completo, qui ſimul cum eo ſe ſignant in fine, ſemperque cum eo caput inclinant, cum eiſdem recedit ordine, vt ſupra ad ſedendum.

5 At ſi cantetur Miſſa in Altari, in quo expoſitum ſit Sanctiſſimum Sacramentum, decentiùs eſt, quod non ſedeant, & tunc ſtabunt apud Altare, & ſub finem hymni per Chorum cantati genuflectentes, petunt loca ſua poſt terga Celebrantis.

6 Vbi verò ſedendum ſit; quando conſurgunt, vt accedant ad Altare, capite aperto, vnus poſt alium per planum capellæ incedunt, & facta in medio Altari reuerentia, aſcendit vnuſquiſque ad locum ſuum, vno remanente poſt alium, Celebrans verò Altare oſculatur, ac vertens ſe dicit ſonora voce *Dominus vobiſcum*, quo dicto redit ad librum in cornu Epiſtolæ, ibique cantabit Orationem, vel Orationes.

## *De Epiſtola, quæ cantatur in Miſſa ſolemni, & Euangelio. Cap. VII.*

### Rubr. Miſſal. VI. 4.

*IN Miſſa ſolemni Subdiaconus circa finem vltimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epiſtolarum, deferens illum ſupra pectus, & facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epiſtolæ contra Altare, & cantat Epiſtolam, quam etiam Celebrans interim ſubmiſſa voce legit, aſſiſtente*

*ſtente ſibi Diacono à dextris, & item Graduale, Tractum, &c. vſque ad* Munda cor meum. *Epiſtola cantata Subdiaconus, facta iterum genuflexione Altari in medio, redit ad Celebrantem, & genuflectens oſculatur eius manum, & ab eo benedicitur, præterquam in Miſſis Defunctorum.*

5 *Poſtea idem Subdiaconus accipit Miſſale Celebrantis, deſert ad cornu Euangelij in Altare, & ibi miniſtrat Celebranti: qui in medio Altaris ſubmiſſa voce dicto* Munda cor meũ, *&c. & deinde lecto Euangelio, quod in fine non oſculatur, delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad Altare, imponit incenſum in thuribulum. Poſtea Diaconus genuflexus ante Altare dicit* Munda cor meum, *& accipiens librum Euangeliorum de Altari, petit benedictionem à Celebrante ſimiliter genuflexus in ſuperiori gradu Altaris: & oſculata illius manu, præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis cum candelabris accenſis de credentia ſumptis, vadit cum Subdiacono à ſiniſtris ad locum Euangelij contra Altare verſus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accenſa dicit,* Dominus vobiſcum, *iunctis manibus. Cùm dicit* Sequentia, *&c. ſignat librum in principio Euangelij, frontem, os, & pectus: poſtea ter librum incenſat, hoc eſt, in medio, à dextris, & à ſiniſtris, & proſequitur Euangelium iunctis manibus. Interim Celebrans, poſt datam Diacono benedictionem retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ ibi ſtat iunctis manibus. Et cum Diaconus dicit,* Sequentia S. Euangelij, *Sacerdos etiam ſignat ſe: & cum nominatur IESVS, caput inclinat verſus Altare. Finito Euangelio, Sacerdos oſculatur librum à Subdiacono ſibi delatum, dicens,* Per Euangelica dicta, *&c. & à Diacono ter incenſatur. Si ſit coram Prælato in ſua reſidentia, liber defertur ad Prælatum, vt ſupra, & ille incenſatur, vt in Pontificali. Poſtea ſtans in medio Altaris, verſus ad Crucem, incipit, ſi dicendum ſit,* Credo, *ſtantibus poſt eum Diacono, & Subdiacono; deinde ad Altare accedentibus, & cum eo proſequentibus, vt dictum eſt ad* Gloria in excelſis.

6 Si

6 Si *autem ſit prædicandum, Concionator, finito Euangelio, prædicet, & ſermone ſiue concione expleta, dicatur* Credo, *vel ſi non ſit dicendum, cantetur* Offertorium.

7 *Cùm verò in Symbolo cantatũ fuerit,* Et incarnatus eſt, *Diaconus accepta burſa de Credẽtia, ambabus manibus eã defert eleuatam cum ſolitis reuerẽtijs ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & reuertitur ad Celebrãtem. Cùm nõ dicitur* Credo, *Subdiaconus defert burſam ſimul cum Calice, vt infra dicitur.*

1 Subdiaconus, cum accedit ad accipiendum librum Epiſtolarum, comitatur à Cæremoniario, vel, eo deficiente, ab Acolytho; comitatur autem illum à ſiniſtris eiuſdem, quod & aliàs facit, & cum eo genuflectit vnico genu; Epiſtolam deinde legit, ſibi ipſe tenens librum. Celebrans deinde Euangelium (vt in Rubr.) legit, in principio, librum, & ſeipſum ſignando, licèt in fine non dicat *Per Euangelica dicta*, & iunctis manibus illud legit vſque in finem, non illud interrumpendo, vt alia circa Diaconum agat: Miniſter autem aſſiſtens reſpondebit, *Laus tibi Chriſte:* ſed nequaquam propterea Miniſtri tenẽtur in Miſſa reſpondere *Amen*, etiam ſubmiſſa voce ad Orationes, vel ad alia, quibus à choro reſpondetur. Subdiaconus verò deferens librum Euangeliorum, vt Euangelium legatur à Celebrante, cum tranſit ante medium Altaris, genuflectit, clauſumque illum portat, & deinde aperit.

2 Thuriferarius autem ſtatim, cantata Epiſtola, Thuribulum cum prunis accenſis defert; & miniſtrat, vt ſupra. Impoſito verò, atque benedicto incenſo, ante infimum gradum recedit in plano, vbi cum Diacono, & alijs Miniſtris, facta genuflexione, procedit poſt Diaconum à dextris Acolythi, ſtans aliquantulum retro tenet, atque agitat leuiter Turibulum: & Diacono dicente *Sequentia*, &c. claudit Thuribulum, & tenens manubrium dextera, vaſculum verò per catenulas ſiniſtra, firmat ſe à dextris Diaconi, eique Thuribulum dat, vt librum incenſet, (incenſabit autem, vt in Rubrica in medio à dextris, & à ſiniſtris, videlicet,

ipſius libri,) rurſumque accepto ab eo Thuribulo, poſt eum ſtans, ipſum, vt ſupra, ſuauiter ducet, catenula operculi aliquãtulum eleuata,& inclinat ſe,ac genufleɛtit cum opus eſt. Cantato Euangelio ſtatim Thuribulum clauſum tradit Diacono ſine oſculis, dextera, dum porrigit, tenens manubrium, ſiniſtra vaſculum; è contra verò, cùm recipit. (quod ſemper ſeruare debet.) Inchoato *Credo*, vel *Dominus vobiſcum*, reuerenter, accepta Nauicula recedit.

3 Acolythus verò ſi ibi fuerit, finita Epiſtola, Nauiculã acceptã à Thuriferario, Diacono tradit, deinde, facta cũ alijs reuerẽtia in medio, cũ cãtatur Euangeliũ ſtat à ſiniſtris Thuriferarij à latere Epiſtolæ, facie tamẽ conuerſa ad latus Euãgelij, dextera pedem tenens Nauiculæ ante pectus. & vbi inclinandum, vel genufleɛtendum eſt, cum alijs id præſtabit.

4 Ceroferarij quoque cantata Epiſtola, ſtatim ſua candelabra à Credentia accipiunt, & cum debitis reuerentijs in medium accedentes æqualiter ibidem inter ſe diſtantes expectant, donec procedendum ſit ad cantandum Euangelium,& tunc cum Diacono,& alijs miniſtris ſimul genufleɛtẽtes accedunt ad latus Euangelij, vbi Subdiacono (eum medium tenentes) aſſiſtunt vſque in finem.

5 Celebrans interim poſt ab eo lectum Euangelium incenſum imponit, quo vti debet Diaconus ad incenſandum librum, ad quem deferendum ad Altare nullum ipſe comitem habebit, & quem poſt debitam genuflexionem in infimo Altaris gradu factam, collocat in medio illius. Impoſito autem incenſo, dicet ſuper primo Altaris gradu altiori *Munda cor meum*, & in eodem loco verſus Celebrantem adhuc ſtantem in latere Euangelij non omnino tamen conuerſus ad eum; petit benedictionẽ dicẽdo, *Iube domne*, (nõ *Iube domine*) *benedicere*, cui Celebrans benedicit, demiſſa voce ſubiungendo, *Dominus ſit in corde tuo*, dicenſque *In nomine Patris*, &c. ſiniſtra poſita ſupra pectus, producit ſignum Crucis ſupra librum manu dextera, quam Diaconus oſculabitur, & ſurgens

gens procedet ad cantandum Euangelium, portans librum ante pectus; cantat autem illud contra Aquilonem, inter Altare, & populum.

6 Poſt datam benedictionem Diacono, confert ſe Celebrans ad cornu Epiſtolæ, vbi ſtat facie ad Altare conuerſa, donec Diaconus incipiat cantare Euangelium, quo incipiente, ſtatim ſe vertit reſpiciens cornu Euangelij, & ſic ſtat iunctis manibus, donec abſoluatur Euangelium. Poterit etiam cantari Euangelium ſuper Legili, quod panno ſerico coloris ceterorum paramentorum ornatum ſit, & tunc Subdiaconus ſtabit poſt illud amplectens ipſum Legile, & manibus hinc inde librum tangens.

7 Subdiaconus, & Ceroferarij dum cantatur Euangelium nunquam genuflectent, aut caput inclinabunt, ſed immobiles omnino erunt, cùm verò genuflectendum eſt, Diaconus verſus librum, Sacerdos verſus Altare genuflectunt. Cęremoniarius poſt Diaconum ſtabit.

8 Cantato Euangelio, Subdiaconus defert librum apertum ad Sacerdotem (qui oſculabitur eum, ſed non ſignabit) abſque vlla reuerentia, neque Altari, etiam ſi in eo ſit Sanctiſſimum Sacramentum, neque Sacerdoti, ſed clauſo deinde libro, reuerentiam tunc faciet vtrique, & librum deponet ſupra Credentiam; vel ſi Acolythus aderit, ipſe de manu eiuſdem Subdiaconi illum accipiet, & intonato à Celebrante *Credo*, vel *Dominus vobiſcum*; debitis peractis reuerentijs, ſupra Credentiam reponet. Diaconus autem, dum incenſat Sacerdotem poſt cantatum Euangelium, ſtet in plano medio capellæ, non ſuper aliquem gradum.

9 Ceroferarij autem, finito Euangelio, deponent candelabra ſine mora.

10 Si ipſe Celebrans voluerit concionari, ſedeat ſuper ſcamno nudo, in cornu Euangelij, capite detecto, aut ſine caſula in pulpito.

11 Cùm verò cantatur in Symbolo, *& Incarnatus eſt*,

C cele-

Celebrans, & Miniſtri, ſi ſedeant caput detectum profundè inclinant, ſi non ſedent, genufleɫtunt: ſed in die Annunciationis B. Mariæ, & in tribus Miſſis Natiuitatis Domini ſemper genufleɫtunt, & ſi non ſedent, genufleɫtunt in ſuperiori Altaris gradu. Celebrans in ſuperiori Altaris gradu, reliqui ſuis in locis verſus Altare. P. Gauant. p. 1. t. 17. n. 3. & p. 2. t. 6. n. 7. genufleɫtunt etiam ſemper, quando prædictum Symbolum ad Altare recitatur ſubmiſſa voce, & pariter omnes de Choro genufleɫtunt, ex *Cærem. Ep. lib. 2. c.* 18. ſi viſibilem habeant Sacerdotē, ſed vnico tunc genu. Quod ſi à Muſicis cantetur *Credo*, & non à Choro, duo Cantores in Choro illud recitabunt ſubmiſſa, & intelligibili voce, & ad prædictum verſiculum omnes pariter ambobus fleɫtent genibus. deinde ſedeant. & cum prædictus verſiculus poſtea cantabitur à Muſicis, vt ſupra, caput tantùm profundè inclinent, excepta Noɫte, & Die Natiuitatis Domini, & Annunciationis Beatæ Virginis, vt de Celebrante aduertit Rubr. Miſſ.

12 Cum fuerit cantatum in Choro, & *Homo factus eſt*, Burſam Diaconus ſine comite defert ad Altare; defert autem ita, vt pars eius aperta ipſum reſpiciat, & ad Altare aſcendens facit primò Cruci reuerentiam, mox capitis inclinationem Celebranti, ſi non ſedeat, qui non reſpondebit ei; ad Credentiam quidem per viam breuiorem, ad Altare verò per longiorem ibit.

De

## *De Offertorio in Miſſa ſolemni. Cap. VIII.*

### Rubr. Miſſ. VII. 9.

*IN Miſſa ſolemni dicto*, Oremus, *Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epiſtolæ, Diaconus amouet Calicem, ſi eſt in Altari, vel ſi eſt in Credentia, vt magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena, & Hoſtia, coopertum Palla, & velo à collo ſibi pendente, manu ſiniſtra tenens, & alteram manum ſuperponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini, & aquæ portante; ipſe Diaconus Calicem detegit, & dat Patenam cum Hoſtia Celebranti, oſculando eius manum: Subdiaconus extergit Calicem purificatorio, Diaconus accepta ampulla vini de manu* Subdiaconi, *imponit vinum in Calice, Subdiaconus interim ampullam aquæ oſtendens Celebranti, dicit*, Benedicite Pater Reuerende, *qui facto verſus eam ſigno Crucis, dicit Orationem*, Deus, qui humanæ, *&c. interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem, Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Calicis, tangens, ſeu brachium dextrum Celebrantis ſuſtentans, cum eo dicit*, Offerimus tibi Domine, *&c. quem poſtea poſitum in Altari, vt ſupra, palla cooperit. Subdiacono deinde ſtanti in cornu Epiſtolæ ponit in dextera manu Patenam, quam cooperit extremitate veli ab eius humero pendentis, qui vadit poſt Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione, ibi ſtat, ſuſtinens eam eleuatam vſque ad finem Orationis Dominicæ, vt dicetur. In Miſſis autem Defunctorum, & in feria ſexta Paraſceues Patena non tenetur à Subdiacono.*

1 Finito Symbolo, vel ſi non ſit dicendum, dicto *Oremus* ante Offertorium Diaconus aſcendit ad Altare à ſiniſtris Celebrantis, eique dum legit Offertorium aſſiſtit, quo lecto, tranſiens ad cornu Epiſtolæ, acceptum Calicem à Sub-

à Subdiacono detegit, & alia præſtat, vt in Rubrica.

2 Quod ſi aliæ Hoſtiæ pro Communione populi ſint conſecrandæ pariter obſeruat ea, quæ fuerunt adnotata *ſup. p. prima, cap.3.*

3 Cum verò accedunt ad Altare meminerint genuflexionis, quam facere debent in ſuis locis, & Subdiaconus, quando Calicem de Credentia deferet ad Altare, velum paruum Calicis ſuper eam deponat, & relinquat, ac per breuiorem viam ad Altare aſcendat.

4 Acolythus verò, dicto à Celebrante *Dominus vobiſcum,* vnà cum Subdiacono, facta Altari reuerentia, accedit ad Credentiam, vbi prius velum humeris Subdiaconi imponit, ac benè adaptat; itaut longius pateat à parte dextera; poſtea ambas ampullas tenens, poſita iam ad dexteram ſub Corporali Patena, poſt eum ad Altare procedit in cornu Epiſtolæ, ibique peractis reuerentijs, illas porrigit primò vini, mox aquæ. Diaconus autem Calicem per nodum manu ſiniſtra tenens accipit ampullam vini de manu Subdiaconi, qui eamdem accepit de manu Acolythi, (vtrique verò accipiunt ſine oſculis, tam ampullę, quàm manuum) & vinum infundit quantum ſufficit, Celebrante incipiente, Orationem, *Deus, qui humanæ, &c.* Subdiaconus quoque ſine oſculis ab Acolytho accipit ampullam aquæ, & parum inclinatus oſtendit Celebrāti, dicens, *Benedicite Pater Reuerēde.* Acolythus eas reaccipiens ſuo loco in Credentia reponit; deinde in medio ſtans, accedente Thuriferario, Nauiculam Diacono porrigit, vt ſupra in Introitu.

5 Hoc loco aduertat Diaconus, quando ponit Patenam in dextera manu Subdiaconi, quòd pars anterior Patenæ Subdiaconum reſpiciat.

## *De incenſatione Oblatorum in Miſſa ſolemni vſque ad Canonem. Cap. IX.*

### Rubr. Miſſal. VII. 10.

DIcto Veni ſanctificator, *vt ſupra, Celebrans miniſtrante Diacono nauiculam, & dicente* Benedicite Pater Reuerende, *ponit incenſum in Thuribulum, dicens;* Per interceſſionem, *&c. vt in Ordine Miſſæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reuerentiam, incenſat oblata, ter ducens Thuribulum ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, & ter circum Calicem, & Hoſtiam, ſcilicet bis à dextra ad ſiniſtram, & ſemel à ſiniſtra ad dexteram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo: In prima incenſatione,* Incenſum iſtud, *In ſecunda,* à te benedictum, *In tertia,* aſcendat ad te Domine, *In quarta,* & deſcendat ſuper nos, *In quinta, & ſexta,* miſericordia tua. *Deinde facta reuerentia, incenſat Crucem, & Altare, vt dictum eſt ſupra, aſsiſtente eodem Diacono, interim dicens,* Dirigatur Domine oratio mea, *&c. & cum incenſatur Crux, Diaconus amouet Calicem ad partem Epiſtolæ, & incenſata Cruce reponit in loco ſuo. Cum reddit Thuribulum Diacono, dicit,* Accendat in nobis, *&c. & incenſatur ab eo: deinde Diaconus incenſat Chorum, & poſtremo Subdiaconum tenentem Patenam; & ipſe Diaconus incenſatur à Thuriferario, & Thuriferarius poſtea incenſat Acolythos, & populum. Celebrans poſt quam incenſatus fuerit, lauat manus, miniſtrantibus Acolythis ampullam aquæ cum peluicula, & manutergio.*

11 *Cum dicitur* Præfatio, *Diaconus & Subdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem: & paulo antequam dicatur* Sanctus,

*accedunt ad Altare, vbi cum Celebrante hinc inde dicunt* Sanctus, *& quæ ſequuntur vſque ad* Canonem. *Deinde Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ei aſſiſtens dum dicitur*, Canon, *niſi alius Sacerdos aſſiſtat, quia tunc ipſe ſtaret ad dexteram aliquantum poſt Celebrantem. Subdiaconus vero tunc ſtat poſt Celebrantem.*

1 Ad Offertorium prȩſto adeſt Thuriferarius cum Thuribulo, Celebrans autem ter incenſum in eo ponit, & ſemel benedicit, & tunc quidem ad illud verbum *Benedicere*, non ante, neque poſtea: & ſignum Crucis ſuper Thuribulum fumigans manu dextera producit. Diaconus, & Subdiaconus miniſtrant, vt in initio Miſſæ, & prout aliàs dictum fuit.

2 Super Oblata ter Thuribulum ducit Celebrans Crucem efformando, non veluti per quatuor puncta, ſed ſuper Calicem, & Hoſtiam in modum Crucis, & reliquum incenſationis in modum Coronæ; neque tunc, quando incenſat in modumCrucis dimittendum eſt à lateribus Thuribulum, ſed ſolum in ſecundis circulis ſequentibus, in quibus Thuribulum depreſſiùs circumducitur.

3 Aduertendo prætereа, quòd licet ibi fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, non illud tamen, ſed Crux incenſatur; niſi fuerit expoſitum; quia tunc flexis genibus incenſaretur prius, vt dictum eſt ſup. & Diaconus in incenſatione Crucis amouet Calicem, ſed non extra Corporale, ſi capax fuerit; Subdiaconus autem in tota hac incenſatione nihil ſe mouet, ſed ſolùm cum à Diacono incenſatur, conuerſus ad illum caput inclinat. Thuriferarius dum incenſantur Oblata, & Altare ſtat à dextris Acolythi, & redeunte Celebrante ab incenſatione Altaris, accedit ad latus Epiſtolȩ, vbi ſtat poſt Diaconum incenſantem Celebrantem, & cum eodem poſtea procedit ad incenſandum Chorum, ordine in proprio loco, cum de Veſperis agetur, præſcribendo; & facta in medio reuerentia, ſtat à ſiniſtris Diaconi incenſantis, cum eo ſe opportunè inclinans. Acolythus

dum

dum incenſantur oblata, librum, depoſita Nauicula ſuper Credentia, quando opus eſt, amouet, & reportat.

4 Qui verò in Choro incenſantur nouerint, ſe ſtare debere quaſi extra ſtallum, ſe mutuo ad honorem incenſi inuitantes, antequam quilibet incenſetur, facta ad inuicem inclinatione. ceterum ſi Altare, in quo cantatur Miſſa longius diſtet à Choro, Thuriferarius pro Diacono incenſationem, vt in Veſperis, faciet; ni tamen in Choro Superior aliquis præcipuus adeſſet, aut magnus Præſul, quia tunc præſtantius conueniet ipſi Cæremoniario, quem Acolythus Thuriferarius comitabitur, ita ex Cærem. Can. Reg. & Camald.

5 Incenſato Choro, Thuriferarius cum debitis reuerentijs Diaconum præcedens accedit ad Altare, ibique facta prius genuflexione, ſtat à latere eius, donec Subdiaconus thurificetur; tum accipiens ab eo Thuribulum cum debitis inclinationibus thurificat primò Diaconum, (niſi Cæremoniarius ipſe voluerit eum thurificare, quod magis congruum erit) mox Cæremoniarium, poſtea Acolythum, deinde populum ter, primò in medio, poſtmodum à latere Epiſtolæ, tertiò verſus latus aliud cum inclinationibus ante, & poſt. Stabit autem Thuriferarius tunc in medio Præsbyterij, vel ſi expoſitum ſit Sanctiſſimum Sacramentum, ferè à latere Euangelij. Quod ſi adſint Domini locorum minorum, ſeu Magiſtratus, incenſari poterunt à Thuriferario duplici, vel vnico ductu, iux. qualitatem perſonarum. In his autem conſuetudo locorum videtur attendenda.

6 Celebtanti incenſato Acolythi Ceroferarij cum reuerentijs debitis, & cum quaſi oſculis ampullæ, & manutergij ante, & poſt, ſed ſtantes, non genuflexi, miniſtrant.

7 Ad *Orate Fratres*, Subdiaconus reſpondeat *Suſcipiat*, &c. & Celebrans, (vt Diaconus poſſit ſuo tempore redire) ſecretas Orationes ſtudeat moroſius, ac tardiùs dicere, & Diacono abſente, muneris erit Cæremoniarij aſſiſtere libro, & folia, quando oporteat vertere.

8 Sub Præfationis finem facta prius in locis ſuis poſt Ce-

lebrantem genuflexione, quam rurſus faciunt, dicto ab eiſdem vltimò, *Oſanna in excelſis*, Diaconus, & Subdiaconus, etiam cum Patena, ad Altare aſcendunt, vt in Rub. & *Benedictus qui venit*, &c. in Hymno *Sanctus*, &c. non debet vllo modo cantari à Choro, donec Celebrans depoſuerit Calicem, vt ex *Carem.Ep.l.2.c.*8.

9 Diaconus verò Aſsiſtens, dum dicitur *Canon* minimè debet tenere manus iunctas, ſed folia Miſſalis attentiùs vertere, & quæ dicenda ſint à Celebrante, eidem indicare.

10 Ad *Sanctus* in hac Miſſa conuenit maximè, vt pulſentur maiores Campanæ, atque etiam parua Campanula ab altero Ceroferariorum, ſiue ab Acolytho.

## *De Canone in Miſſa ſolemni vſque ad finem. Cap. X.*

## Rubr. Miſſ. VIII. 8.

*IN Miſſa ſolemni ad finem Præfationis accenduntur duo ſaltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur poſt eleuationem Calicis, niſi aliqui ſint communicandi, & tunc extinguuntur poſt Communionem. In diebus etiam ieiuniorum, & in Miſsis pro Defunctis tenentur accenſa vſque ad Communionem. Cùm autem Celebrans dicit*, Quam oblationem, *&c. Diaconus accedit ad eius dexteram, & ibi in ſuperiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum eleuatur, fimbrias Planetæ eleuat, & quando opus eſt, ſe erigens, Calicem diſcooperit, et cooperit, et cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco ſuo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epiſtolæ ter incenſat Hoſtiam, cum eleuatur, & ſimiliter Calicem poſito incenſo in Thuribulum abſque benedictione. Repoſito Calice, Diaconus redit ad librum, niſi alius aſsiſtat. Ceteri ſurgunt, & ſtant in locis ſuis.*

1 Cum eleuatur Sanctiſſimum Sacramentum Chorus ſilet,

let, & omnes tam in Choro, quàm extra genuflectunt, ſtatimque eleuato Calice ſurgunt, & Chorus proſequitur cantando *Benedictus*, &c. & in eiuſdem eleuatione aliquantum etiam, decorè tamen, eleuantur intorticia vſque ad depoſitionem Calicis incluſiuè.

2 Ad *Quam oblationem* Diaconus accedens ad dexteram Celebrantis, vt in Rub. Altari priùs, vbi eſt, genuflexionem facit. Subdiaconus verò genuflectit ad eleuationem ſupra infimum gradum in medio poſt Celebrantem, & Thuriferarius Hoſtiam incenſat cum eam Sacerdos adorat, cum eleuat, & cum deponit. Genuflectunt autem prædicti, quando Diaconus genuflectit, & loco Thuriferarij Cæremoniarius, ſi adſit (quod magis etiam conueniet) Sacramentum cum eleuatur thurificare poterit.

3 Poſt eleuationem, Diaconus ad librum reuertitur, facta tamen iterum genuflexione in cornu Euangelij tantùm vbi eſt liber, & aſſiſtit, vt priùs. Thuriferarius redit in Sacriſtiam.

4 Diaconus Celebrantem adiuuat in omnibus genflexionibus, ipſum dextera manu eleuando; & quando fiunt Cruces ſuper Calicem, duobus digitis item dexteræ manus pedem Calicis tenet. ita *Cær. Ep. lib.* 1. *c.* 9.

5 Ad *Agnus Dei* percutiunt Miniſtri ſibi pectora cum Celebrante, non tamen ſiniſtra poſita cum eo ſuper Altare, ſed infra pectus eidem pectori admota.

6 In danda pace, non inclinatur, niſi poſtquam data fuit, qui verò eam accipit, danti inclinat caput ante, & poſt. ita *Cær. Ep. l.* 1. *c.* 24. & in vno quoque ſedium ordine in Choro primus dat pacem alteri poſt acceptam pacem à Subdiacono, & ſic deinceps vſque ad vltimum eiuſdem ordinis, non autem debent præmitti inuitationes, quæ in incenſatione tantum ſunt faciendæ.

7 Laicis autem ſæcularibus datur Pax per inſtrumentum oſculatum ab eo, qui pacem à Celebrante immediatè accepit; miniſter autem daturus eis pacem genuflectit ad dexte-

ram Celebrantis, & dicto tertiò *Agnus Dei*, porrigit inſtrumentum oſculandum eidem Celebranti, tum facta genuflexione, accedit ad Prælatum, & alios, quibus idem inſtrumentum porrigit, facta tantum reuerentia poſt pacem datã, vnicuique. Velum præterea eſt adhibendum, coloris Miſſæ congruentis, quo qualibet vice terget illud, antequam alter oſculetur, ſi plures ſint Prælati; alias non tergat, niſi Prælatis; neque ideo danda eſt Pax hoc loco cuicunque, ſed perſonæ, ſeu perſonis inſignibus.

8 Pax autem, quæ per oſculum datur, non niſi ſtanti dabitur, quæ verò per inſtrumentum, non ſtrictè ſuſcipit hanc regulam. per oſculum datur primo cuiuſque ordinis, à Subdiacono; Deinde per inſtrumentum laicis ſæcularibus, quos Diaconus incenſauit; ceteris Laicis ab Acolytho, nunquam verò à Diacono, neque etiam Domino loci. ita *Sac. Congr. Rit.* 5. *Iulij* 1614. neque cum Patena vnquam. At ſi Chorus fuerit procul ab Altari ſeruetur, quod de incenſatione dictum fuit, quod ſcilicet Acolythus (alioquin Cæremoniarius, comitante Acolytho) pacem in Chorum deferat, eamque diſtribuat modo, & ordine; quo fuit etiam incenſatus, & hoc per inſtrumentum proprium Pacis, prius à Subd. oſculatum, & poterit etiam dignioribus eam Cæremoniarius dare, minus autem dignis Acolythus, cui præfatum inſtrumentum relinquet, & data pace in Choro, alijs Miniſtris etiam pariter dabit.

9 In miniſtrandis ampullis non debet Subdiaconus reuerentias debitas, & oſculationes ommittere.

10 Cum vult ſe communicare Sacerdos, ſtant Diaconus, & Subdiaconus manibus iunctis ante pectus inclinati ad ea verba *Domine non ſum dignus*, non ideo tamen Celebrans Subdiaconum expectat, donec redeat à danda Pace. Sed Diaconus (aſſumpta Hoſtia à Sacerdote) abſente Subdiacono, diſcooperit Calicem cum debitis genuflexionibus.

11 Alter deinde Ceroferariorum ampullas ad Altare ſinè genuflexione deferet cum Peluicula, quas ſine oſculis por-

rigit

riget Subdiacono, & Credentiæ reſtituet, alter verò velum paruum Calicis de Credentia portabit ad Altare in cornu Euangelij, vt eo Subdiaconus eundem Calicem cooperiat, quem ipſe, non Cæremoniarius ad Credentiam reportabit.

12 Celebrans autem (niſi fuerit Reuerendiſſimus Generalis, vel ſaltem Prouincialis in aliquo ſolemniori feſto) non lauat manus ad maluuium, ſiue bacile cum vrceolo, ſed ordinariam facit digitorum ablutionem paulo extra Corporale.

13 Ad benedictionem demum Celebrantis, Miniſtri æqualiter diſtantes ſup. gradum ſecundum, Diaconus à dextris Subdiaconi, genuflectunt verſus Altare, & ſe ſignant, reliqui pariter inferiores miniſtri genuflexi manent vſque ad finem benedictionis.

14 Diaconus verò, quando librum Euangeliorum, quem clauſum deferet Subdiaconus miniſtrat, inter Celebrantem & ipſum Subdiaconum, quaſi medius ſtat, aliquanto tamen poſt Celebrantem, & in Euangelio S. Ioannis genuflectunt prædicti tres verſus librum. Ceroferarij dum legitur Euangelium accipiunt candelabra, genuflectunt in medio Capellæ, ibi expectant Celebrantem, & recedunt, vt venerant.

15 Thuriferarius tandem poſtquam omnes reuerſi fuerint ad Sacriſtiam; ordine, quo venerant ad Altare, redit cum Acolytho, vel ſolus, vt candelas accenſas extinguat, incipiendo à candelabro remotiori à Cruce à latere Euangelij, deinde eodem modo à latere Epiſtolæ.

In Sacriſtia omnes hinc inde ſalutabunt Celebrantem inclinatione capitis, quod prius detegent Miniſtri, & eos ſalutabit Celebrans capite paululum inclinato, ſed adhuc cooperto, & hæc ſatis de Miſſa ſolemni. De Miſſa verò pro Defunctis, & abſolutione ad Tumulum, ea abundè ſufficere videntur, quæ exprimuntur in propria Miſſalis Rubrica, quæ inf. ponetur.

De

## *De Miſſa ſolemni Miniſtri Generalis, & de Aſſiſtente.* *Cap. XI.*

QVando Miniſter Generalis ſit in aliquo ſolemniori feſto Miſſam ſolemniter celebraturus, præter ea, quę ad Miſſam ſolemnem communiter præparantur, ſuper credentia (quæ poterit in hoc caſu aliqualiter ornari) bacile, cum vrceolo parandum erit, & ſex intorticia, vel ſaltem quatuor pro eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti.

2 Inſuper Aſſiſtens dabitur ei aliquis ex Patribus inſignibus, cuius præcipua cura erit in Sacriſtia Miſſam præuidere, & Miſſalis ſignacula aptè diſponere; vt præſto illi ſit, & ſuggerere ſubmiſſa voce poſſit, vel modeſtè nutu indicare, ſi in aliquo deficeret.

3 Is ad Confeſſionem in Miſſa aliquantulum poſt Celebrantem ſtabit, & tunc Diaconus à ſiniſtris erit Celebrantis, Subdiaconus verò poſt Diaconum, dicenſque *Tibi Pater*, & *Te Pater*, caput Celebranti inclinat.

4 Peracta Confeſſione, ad Incenſationem amouet librum ab Altari, & poſt incenſationem reponit, retrahendo ſe cum eo à parte Epiſtolæ extra Altare, ſtanſque poſt Celebrantem à ſiniſtris Diaconi, præmonſtrat Celebranti principium Miſſæ, nec diſcedit, ſed cum Celebrans in medium Altaris cum Miniſtris accedit, ipſe ſtat in cornu Epiſtolæ ad librum, donec ab eodem Celebrante ſubmiſſa voce cum Miniſtris dicatur totus Hymnus *Gloria in Excelſis*, &c. Cum verò Celebrans ad ſedendum accedit, ſedebit & ipſe ſupra ſuum ſcabellum nudum, capite cooperto, facieque ad Altare conuerſa. prope, ſcilicet, Celebrantem ante ipſius faciem à dextris, vel à ſiniſtris Celebrantis prout ſitus loci patietur, dummodo, nec Altari, neque Celebranti renes vertat directè, ſed maneat ſemiuerſus. ex *Cærem. Ep. lib.* 1. *c* 7. & iuxta *Cærem. Can. Reg. c.* 18. ſedebit cum alijs Paratis apud Prælatum, ſi non eſt alius ab ipſis; alias ſedebit in aliquo

ſcanno

ſcamno particulari, ſeparatus ab illis in ſitu quaſi reſpiciens Celebrantem, in ſiniſtra, vel dextera parte, pro ſitu loci.

5 Cum Celebrans redit ad Altare, & ipſe poſt eum debitis reuerentijs à latere Epiſtolæ ad Altare aſcendet, ibique oſtendet Celebranti Orationem, vel Orationes dicendas; nec non Epiſtolam, cum Graduali. & Tractu, vel Sequentia.

6 Cantata Epiſtola tranſibit ad cornu Euangelij cum debitis reuerentijs, ibique Subdiaconum, librum deferentem, expectabit, & Celebranti Euangelij textum demonſtrabit, eique aſſiſtet, folia cum opus fuerit, vertens; Subdiaconus verò poſt eum ſtabit. Lecto Euangelio, deſcendit ad poſteriorem partem eiuſdem Euangelij, ibique ſtat iunctis manibus, facie ad Diaconum conuerſa, donec ille Euangelium cantet, vel, iuxta alia Cæremonialia, retrahet ſe paululum retro Celebrantem à parte ſiniſtra; ita tamen, quod neque à ſiniſtris, neque poſt ipſum omnino ſit.

7 Poſt cantatum Euangelium accedit ad Altare cum debitis reuerentijs, ibique à ſiniſtris Celebrantis præmonet, ſi dicendum ſit *Credo*, vel *Dominus vobiſcum*, & Miniſtris accedentibus, vt dicant ſubmiſſa voce *Symbolum*, ipſe retrahit ſe ad cornu Euangelij, vbi ſtans, cum opus eſt, ſe inclinat, & genuflectit cum Celebrante, & ſi ſit ſedendum, ſedet, vt ſupra. Symbolo completo, reuertitur cum Celebrante paulò poſt eum, neque amplius recedit à libro vſque ad Communionem.

8 Ad incenſationem Altaris remouet librum, retrahendo ſe extra cornu Euangelij, & reponit, item à Diacono ante Subdiaconum incenſatur. Eleuato Sanctiſſimo Sacramento, ſtatim ſurget, & aſſiſtet, vt ſupra. Non enim genuflectit, niſi cum eleuatur Sacramentum, & cum Celebrans ipſe genuflectit.

9 Dum P. Generali aſſiſtit, ipſe dat Pacem ab eodem Celebrante acceptam; Diaconus autem accipiet eam ante Chorum ab eodem Aſſiſtente, & dabit Subdiacono. vt ait Craſſus *lib. 1. c. 50. refer. Gau. p. 2. t. x. n. 9.* ſin autem aſſiſtat

H cuilibet

cuilibet alteri, per Subdiaconum recipit poſt eam datam in Choro, vt eſt de more; ita Caſtaldus in ſua Praxi. Licebit tamen fieri, vt mox ſupra, videlicet, quod Aſſiſtens det Diacono, Diaconus Subdiacono, qui diſtribuat more ſolito, & ſi facienda ſit Communio, retrahit ſe ad cornu Euangelij, infra gradum ſaltem ſuperiorem Altaris, & ibi genuflexus manet. Delato deinde per Diaconum libro ad cornu Epiſtolæ, Aſſiſtens, facta in medio genuflexione, accedit ad illud cornu, præmonſtrans, vt priùs, quæ dicenda ſunt.

10 Dicto *Ite Miſſa eſt*, tranſit cum genuflexione ad cornu Euangelij iunctis manibus, vt ibi demonſtret Euangelium legendum in libro, qui à Subdiacono, vt alias, defertur, ibique genuflectit ad benedictionem, deinde aſſiſtit, vt ſupra, & denique cum alijs recedit, & extra Miſſam non aſſiſtit.

11 Celebrante, vt ſup. P. Generali ad benedictionem incenſi, & aquæ in offertorio dicatur, *Benedicite Pater Reuerendiſſime*; Diaconus, quia, cum adeſt Aſſiſtens, libro ipſe non aſſiſtit, ſtabit tunc ad dexteram aliquantum poſt Celebrantem.

12 Ante ſumptionem ſanguinis Diaconus diſcooperit Calicem; cætera, vt in alijs Miſſis ſolemnibus.

13 Ad lauandas manus poſt incenſationem, & Communionem, Cæremoniarius per Acolythos curabit Bacile portandum cum Vrceolo, qui accedet ad Celebrantem, eique facta genuflexione, aquam deinde ſtans effundet, & facta iterum genuflexione, reportabit ad Credentiam. Ceroferarij genuflexi ſuper ſecundo gradu mappam extendent, & cum oſculis mappæ tantùm Celebranti eam porrigent, qua recepta, item cum oſculis, facta rurſus genuflexione, reuertentur ad Credentiam. Diaconus dicturus *Ite Miſſa eſt*, antequam ſe vertat, genuflectit verſus Altare, & poſtquam dixerit, redit ſimul cum eo.

14 Quando autem Pater Generalis voluerit priuatim cele-

celebrare, adhibenda erunt paramenta paulò pretioſiora, habita etiam ratione feſtiuitatis currentis, & in Altari ardeant ſex, aut ſaltem quatuor candelæ, & duo miniſtri Sacerdotes cum ſuperpelliceis mundis inſeruiant, quorum alter inſtrumento, quod bugia vocatur, vti poterit; & debebit continuè libro aſſiſtere, lauabit etiam manus ad bacile, & duo deferent intorticia ad eleuationem, qui non recedent, niſi facta Communione cum debitis reuerentijs.

15 Erga Miniſtrum Prouincialem ferè eadem obſeruari poterunt, excepto quod ſatis erit, cum celebrat priuatim, quod miniſtrum habeat ſuperpelliceo indutum, & ad eleuationem Sanctiſſimi Sacramenti duo ex iunioribus accedent cum intorticijs accenſis. non lauabit autem manus ſuppoſito Bacili in Miſſa priuata, in Miſſis autem ſolemnibus eo modo lauare poterit.

16 Quæ tandem de Generali dicta ſunt, conuenient pariter & Vicario Generali.

## *De Miſſa, quæ cantatur ſine Miniſtris Cap. XII.*

### Rubr. Miſſ. VI. 8.

*SI quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono, & Subdiacono,* Epiſtolam *cantat in loco conſueto aliquis Lector ſuperpelliceo indutus, qui in fine non oſculatur manum Celebrantis:* Euangelium *autem cantat ipſe Celebrans ad cornu Euangelij, qui, & in fine Miſſæ cantat,* Ite Miſſa eſt, *vel* Benedicamus Domino, *aut,* Requieſcant in pace, *pro temporis diuerſitate.*

1 In Eccleſijs minoribus, quæ ſufficientes non habent Miniſtros, Miſſa ſine Diacono, & Subdiacono, ſed cum Acolytho, etiam diebus Dominicis, & alijs feſtis cantari poterit; & tunc Celebrans Calicem, & Acolythus librum

deferre poterunt, cùm ad Altare acceſſuri ſint, vel vtrumq; in eodem Altari, dum dicitur Tertia, præparari, ac ſaltem quatuor candelæ ſub finem Tertiæ accendendę erunt. Quod ſi facienda ſit aſperſio aquæ benedictę, cum vaſculo, & aſpergillo præcedet Acolythus, & Celebrans ſequetur Pluuiali, vel ſaltem ſtola ſuper Alba indutus.

2 Cantat clara voce in hac Miſſa Celebrans, *Gloria in excelſis*, &c. Orationes, Euangelium, *Credo*, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus* ante Offertorium, Præfationem, *Pater noſter*, *Per omnia*, & *Pax Domini*, *Dominus vobiſcum*, *Ite miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*. reliqua ſubmiſſa voce legit, Acolythò reſpondente, vbi Chorus non reſpondeat. Epiſtola verò, vt in Rubrica, & *Kyrie eleyſon* dicetur in cornu Epiſtolę, vt in ſolemni fit.

3 Altare, ſi videbitur, incenſari poterit, Acolytho, ſeu Thuriferario miniſtrante, non in principio Miſſæ, ſed ad Euangelium, & Offertorium, & ad eleuationem Sanctiſſimi Sacramenti. Qui Acolythus non niſi ad Confeſſionem, eleuationem Sacramenti, & Communionem genuflectit. Sedere poterit etiam Celebrans, quando erit ſedendum, videlicet, dum cantatur per Chorum *Kyrie eleyſon, Gloria in excelſis*, & *Credo*.

4 Similiter, ſi danda ſit Pax, Acolythus illam deferre poterit; quinimo debebit, eamque accipiat à Celebrante in loco conſueto à parte Epiſtolæ cum inſtrumento Pacis, & cum eodem inſtrumento illam in Chorũ deferet cũ velo, &c.

5 Ad eleuationem Sacramenti poterunt deferri duo intorticia, ſi adſint qui deferant, præter Acolythum neceſſarium, quæ extinguuntur, vt ſupra. In Miſſis pro Defunctis eadem ferè ſunt obſeruanda, omiſſis omittendis.

De

## *De aſperſione aquæ benedictæ die Dominico.* *Cap.* XIII.

DIebus quibuſcunque Dominicis, etiam ipſo die Paſchatis, & alio quocunque ſolemniori, dicta Tertia in Choro, ante Miſſam ſolemnem aſperſio fit aquæ benedictæ à Celebrante, qui ad Altare veniens indutus Pluuiali debiti coloris, ſuper Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam, præcedentibus Acolythis, medius inter Diaconum, & Subdiaconum (ſi cum iiſdem cantatur Miſſa) hinc inde fimbrias Pluuialis eleuantes, in infimo gradu eiuſdem Altaris pariter medius inter eoſdem genuflectit, etiam ſi fuerit tempus Paſchale, acceptoque aſperſorio à Diacono, (quod cum oſculis Aſperſorij primùm, mox dexteræ Celebrantis porrigitur) atque Miniſtris Pluuialis fimbrias, vt ſupra ſuſtinentibus, adhuc genuflexus aſpergit primò Altare ter, in medio, verſus cornu Euangelij, tum Epiſtolæ, & ſeipſum, dicens *Aſperges me*, &c. Choro proſequente, *Domine hyſſopo*, &c. ſtatimq. ſurgens aſpergit hinc inde Miniſtros adhuc genuflexos, deinde ſurgentibus omnibus procedit ad aſpergendos Fratres in Choro: præcedit autem Acolythus cum vaſculo à dextris Diaconi. Celebrans inter Miniſtros Pluuiale eleuantes hinc inde, & cum ipſis primò totam Antiphonam prædictam; deinde alternatim Pſalmum *Miſerere*, vſque in finem recitabit, omnes interim aſpergens ſine capitis inclinatione, non quidem ſingulos, ſed plures ſimul. Si Prælatus celebret, aſperſio aquæ benedictæ fieri poterit ab alio Sacerdote.

2 Non aſpergatur Altare, ſi expoſitũ ſit in eo Sanctiſſimum Sacramentum, & tunc ſimiliter Diaconus debet abſtinere ab oſculis aſperſorij, & manuum.

3 Quilibet cum aſpergitur, caput diſcoopertum inclinat, & tandem de Choro in Presbyterium perueniendo circa cancellos, vel ambitum illius aſtantes aſpergit. Miniſtri deinde,

de, Diacono aſperſorio reddito, librum hinc inde ſuſtinent, repetendo vnà cum Celebrante Antiphonam, qua in Choro finita, Verſus, & Orationem propriam cantat. Completa Oratione, Diaconus tradit librum Acolytho, à quo accipit Planetam; Subdiaconus verò exuit Celebrantem Pluuiali, quod tradit Acolytho, à quo recipiens manipulum, Celebranti oſculandum in Cruce, quæ eſt in medio, porrigit, eiuſque brachio ſiniſtro adaptat. Diaconus autem, ſtatim ac Pluuiale depoſuit, illum induit Planeta.

4 Si, cum Celebrans aſpergit Chorum, adſint Prælati in eorum iuriſdictione, vel aliquis Cardinalis, aut Pater Generalis, illis reuerenter, ipſum oſculando, aſperſorium porrigit. quod ſi velint aſpergi à Celebrante, & renuant aſperſorium accipere, facta antea, & poſtea cuilibet eorum profunda reuerentia, ipſos aſpergat; reliquos verò Prælatos, ſi adſint, cum inclinationibus ſingillatim aſpergat. Si verò in Eccleſia adſit aliquis ſupremus Princeps, vel Principiſſa in loco ſuæ iuriſdictionis, ante omnes alios cum debitis inclinationibus aſpergi debent, atque in hoc etiam conſuetudo locorum eſt attendenda.

## *De Miſſæ Celebratione coram Prælatis, & Principibus.* *Cap. XIV.*

QVi coram Prælato (Cardinali ſcilicet, Archiepiſcopo in ſua Prouincia, vel Epiſcopo in ſua Diœceſi, & non alijs) celebrabit, primò eum præcedit ad Altare, & ibi in infimo gradu à cornu Euangelij ſtans, expectat, & dato ſigno incipiendi Miſſam, aliquantum verſus ad Altare, facta prius inclinatione profunda Prælato, & Altari reuerentia debita, facit confeſſionem, in qua dicit *Tibi Pater*, & *te Pater*, profundè ſe illi inclinans.

2 Dicto *Oremus*, Facta Prælato reuerentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit, *Aufer à nobis*, vt alias.

3 In

3 In fine Euangelij Celebrans non oſculatur librum, neq. dicit. *Per Euangelica dicta*, &c. defertur autem oſculandus liber Prælato, modo ſupra præſcripto, c.2.n.5.

4 Pro pace danda Prælato, poſt primam Orationem *Domine Ieſu Chriſte*, oſculatur Altare in medio, & deinde oſculatur inſtrumentum ſibi à Miniſtro porrectum, dicente, *Pax tecum*.

5 Antequam det benedictionem poſt verba, *Omnipotens Deus*, conuerſus ad Prælatum, capite inclinato, quaſi licentiam benedicendi petit, & aſtantes benedicit, ab ea parte, vbi non adeſt Prælatus.

6 Poſt abſolutum vltimum Euangelium, conuertit ſe verſus Prælatum, eique reuerentiam facit, & non prius diſcedit, quàm Prælatus abierit.

7 Erga alios Prælatos inferioris ordinis, non ea ſunt præſtanda, quæ ſupra relata ſunt; poterit tamen Pax dari, ea prorſus ratione, de qua ſupra, & poterit Celebrans ei reuerentiam de Altari facere; Principi verò, ſeu Principiſſæ, non niſi vbi deſcenderit ab Altari, operto capite.

## *De Miſſa ſolemni pro Defunctis. Cap. XV.*

### Rubr. Miſſal. XIII. 2.

*IN Miſſa ſolemni non incenſatur Altare ad Introitum, & Subdiaconus finita Epiſtola non oſculatur manum Celebrantis, nec benedicitur: Diaconus non petit benedictionem, nec oſculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Euangelium, nec portatur incenſum, ſed duo tantum Acolythi ſine candelabris ſtant vnus à dextris, & alter à ſiniſtris Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum. Non incenſatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Euangeliorum oſculandus. Oblata & Altare incenſantur vt ſupra: incenſatur ſolus Celebrans, & non incenſantur alij. Subdiaconus non tenet Patenam*

*poſt*

*poſt Celebrantem: ſed tempore eleuationis Sacramenti genuflexus in cornu Epiſtolæ illud incenſat. Miniſtri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Miſſa nunquam oſculantur eius manum, neque rem quæ porrigitur.*

3 *Si diſtribuendæ ſunt candelæ, diſtribuantur poſt Epiſtolam; & accendantur ad Euangelium, ad eleuationem Sacramenti, & poſt Miſſam, dum fit Abſolutio. Si habendus eſt ſermo, habeatur finita Miſſa ante Abſolutionem.*

1 In hac Miſſa ſolemni pro Defunctis, vel nulla erit Credentia, vel ſaltem ſimplex erit cum linteo breui.

2 Subdiaconus miniſtrat à ſiniſtris Celebranti in oblatorum incenſatione; & in ablutione manuum cum Diacono, miniſtrat mappam ad tergendas Celebrantis manus. Item, cùm non teneat Patenam, debet incenſare Sacramentum in eiuſdem eleuatione, & ſtatim ſurgit ſtans in medio, vt aliàs.

3 Oſcula omnia in hac Miſſa ommitti debent.

4 Candelę poſt Epiſtolam diſtribuendæ pro Abſolutione ad Tumulum facienda, ex cera communi non alba deberent eſſe. *Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 11.*

5 Qui ad eleuationem Sacramenti ferunt intorticia, non debent diſcedere, niſi poſt ſumptionē ſanguinis à Sacerdote, & eodem pariter modo candelæ ſupradictæ non eſſent, niſi poſt eandem Celebrantis Communionem, extinguendæ, quæ ad eleuationem accendentur.

## *De Abſolutione pro Dſeunctis ad Tumulum. Cap. XVI.*

### Rubr. Miſſal. XIII. 3.

*Finita Miſſa, ſi facienda eſt Abſolutio, Celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, vbi exuitur Caſula, & depoſito Manipulo, accipit Pluuiale nigrum. Subdiaconus medius inter*

duos

*duos Acolythos cum candelabris accenſis defert Crucem ſicut in proceſſionibus, præcedentibus duobus alijs Acolythis, vno cum thuribulo, & nauicula incenſi, alio cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio: ſequitur Celebrans, facta prius altari reuerentia, & Diaconus à ſiniſtris eius. Subdiaconus cum Cruce ſiſtit ſe ad pedes tumuli, ſeu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria: Celebrans verò ex alia parte in capite loci inter Altare, & tumulum aliquantum verſus cornu Epiſtolæ, ita vt Crucem Subdiaconi reſpiciat: à ſiniſtris eius Diaconus, & propè eum alij duo Acolythi deferentes thuribulum, & vas aquæ benedictæ. Interim cantatur* ℟. Libera me Domine, *& circa illius finem Celebrans ponit incenſum in thuribulum, benedicens illud more ſolito, miniſtrante Diacono nauiculam. & finito* Kyrie eleiſon, *incipit intelligibili voce*, Pater noſter, *& ſecretè proſequendo reliqua accipit aſperſorium de manu Diaconi, & facta Altari reuerentia, comitante Diacono à dextris, & tenente fimbriam anteriorem Pluuialis, circuiens tumulum aſpergit illum aqua benedicta, ter à parte dextera, & ter à ſiniſtra, cum tranſit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus verò genuflectit: poſtea de manu eiuſdem Diaconi accipit thuribulum, & eodem modo quo aſperſerat, incenſat. Et rediens ad priſtinum locum, Diacono tenente librum, iunctis manibus dicit:* Et ne nos, *& verſus*, A porta inferi, *&* Requieſcant in pace, *&* Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus, *cum Oratione* Abſolue quæſumus Domine, *&c. vt in Proprio Miſſarum pro Defunctis, & poſt eam dicens*, Requiem æternam, *&c. facit Crucem manu dextra ſuper tumulum: & dicto per Cantores*, Requieſcant in pace, *præcedente Cruce, redit cum alijs ad Sacriſtiam.*

1 Si ad Abſolutionem deficit Pluuiale pro Celebrante; in Alba, & Stola maneat, Miniſtri verò Manipulum deponant, vt in ſimili caſu. *Cær. Epiſc.* tradit *l. 2. cap.* 17.

2 Ceroferarij, quoniam Crux etiam defertur à Subdiacono, aderunt cum candelabris, & candelis accenſis. Facies



Digitized by Google

autem Crucifixi terga vertat ipſi Subdiacono, quod erit ſemper obſeruandum in quibuſcunque proceſſionibus.

3 Subdiaconus autem, cum Cruce, ſi abſens ſit corpus, ſiſtit ſe contra Altare ad pedes lecticæ, ſeu tumuli, & ſic Celebrans erit inter Altare, & tumulum; ſed, præſente corpore, ſeruabitur Rituale Romanum.

4 Oratio *Abſolue*, hoc loco communiter dicitur; ſed poteſt etiam dici Oratio Miſſæ, vt in eodem Rituali Romano, quod præcipuè conuenit in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando fiunt exequiæ Prælatorum. In prædicta autem Oratione *Abſolue*, additur dignitatis titulus (ſi quam habebat Defunctus) nomini eiuſdem.

5 In fine Abſolutionis Cantores dicunt: *Requieſcant in pace*, licet pro vno fuerit facta Abſolutio; & præcedente Cruce reditur in Sacriſtiam, & vbi conſuetudo ſit, quod Fratres ſiſtant ſe ad Sepulchrum Fratrum, ſuper eo Pſalmum *De profundis* recitantes cum Oratione ſua, ea ſeruanda erit. Sed notandum, quòd in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, circuitiones illæ per Eccleſiam, & extra, quibus ſepulturę omnes aqua benedicta aſperguntur, & incenſo adolentur non videntur neceſſariæ, & ideo tollendæ, vt *Cærem. Can. Reg.* monet, ſi fieri poteſt abſque ſcandalo, cum eo die tumulus ille repræſentet vniuerſitatem mortuorum, omnibuſque defunctis in Eccleſia ſepultis eadem Abſolutione ſatisfiat: inhærendo tamen conſuetudini illud obſeruandum erit: quod ad lecticam mortuorum fiat vltima Abſolutio cum ℟. *Libera me*, longiori, & oratione *Abſolue*, in numero plurali. Ad alia verò ſepulcra, poſſunt diſtribui Reſponſoria Nocturnorum, addendo ſingulis ℣. *Requiem æternam*, vti fit in tertio, & ſexto Nocturno. Aſperſorio, & incenſatio fiat, in medio, à dextris, & à ſiniſtris cum orationibus, vt in Miſſali, de pluribus, omiſſis ſecretis. Poſt quas orationes non dicitur tunc *Requiem*, *&c.* niſi poſt vltimam Abſolutionem, quæ in medio fit Eccleſię, cui per cantores additur *Requieſcant in pace*.

Ad

Ad Abſolutionem verò, quæ poſt Miſſam defunctorum fieri ſolet, vt in Rubrica, ſi tumulus non præparetur, (quia videlicet, ibi non ſit ſepultura, vel alia de cauſa) pannus niger in gradibus Altaris, vel ante gradus ſuper terram extendatur, vel illuc lectica mortuorum portetur: ſed tunc non defertur Crux (prout etiam non defertur quando tumulus, ſeu lectica ſit adeo vicina, vt non facienda ſit proceſſio, & fratres apud Capellam cãtauerint Miſſam, vbi celebratum fuit) & Celebrans accepto Pluuiali in cornu Epiſtolæ ſtans in dicto cornu verſus Altare expectabit finem Reſponſorij, & cum per Cantores repetitur Reſponſorium poſt Verſus *Requiem æternam, &c.* Celebrans imponit thus in thuribulum cum benedictione ſine oſculis. & dicto vltimo *Kyrie,* ſtans detecto capite in dicto cornu verſus Altare, dicet intelligibili voce *Pater noſter*. Quem fratres dicent ſecretè inclinati, & ſtatim ſe erigent, & interim accedet ad medium Altaris, & verſus dictum pannum, ſeu lecticam, miniſtrante Diacono aſperſorium, aſperget tertio ſuper eumdem pannum, ſeu lecticam, itemque thurificabit; deinde conuerſus ad Altare ex libro poſito in eodem cornu Epiſtolæ dicet ℣. *Et ne nos inducas, &c.* & dicto per Cantores ℣. *Requieſcant in pace*, Celebrans in Sacriſtiam redibit. Poterit etiam prædicta Abſolutio fieri immediate poſt *Placeat*, ante Euangelium S. Ioannis, quod decentius etiam videtur, cum, loco benedictionis Miſſæ, Abſolutio defunctorum poſita ſit. *Cæremon. Epiſc. lib. 2. cap.* 37. quod ſeruatur in Capella Sanctiſſ. & tunc Celebrans finita Abſolutione, ad cornu Euangelij ſtans cum Pluuiali Euangelium S. Ioannis dicit, ſignans Altare, & ſeipſum.

## *De quibuſdam regulis, & Decretis in Miſſis Defunctorum.* Cap. XVII.

OMmittenda nullo modo eſt Miſſa principalis pro Defunctis ſemel in menſe, quemadmodum, neque Feria, neque ſimplex.

2 Sine Miſſa Defunctorum, corpus non deberet ſepeliri; quod eſt notandum pro Fratribus noſtris defunctis.

3 Celebrari poteſt pro Defunctis omni tempore, cadauere inſepulto, & præſente, ſi ea fuerit conſuetudo, vt ſine Miſſa non ſepeliatur corpus. excepta fer. 6. in Paraſceue, & eo caſu differendæ eſſent Exequiæ in craſtinum, vbi conſuetudo prædicta eſſet talis, vt non ſine magno ſcandalo cadauer ſepeliretur ſine Miſſa.

4 Corpus verò eius, qui in die Paſchæ moreretur, in ſequentem diem eſſet reſeruandum, iuxta Rit. Rom.

5 In Dominicis, & feſtis Miſſa Celebrari poteſt pro Defunctis, præſente in Eccleſia, & nondum ſepulto cadauere. ita *Sac. Cong.* 23. *Maij* 1630.

6 Anniuerſaria dies Defuncti incidens in feſtum celebre mutanda eſt in præcedentem diem, quæ ratio eadem quoque erit in tertio; ſeptimo, & trigoſimo. & notandum, quod diebus inter tertium, ſeptimum, vel trigeſimum interpoſitis Oratio pro tertio, ſeptimo, aut trigeſimo dici non debet: alioquin ipſa Oratio mentiretur, ſed Oratio mutetur in *Inclina*, ſi pro vno, in *Quæſumus*, ſi pro vna dicatur, & ſic de cæteris & Miſſa tunc dicatur quotidiana.

7 Poſſunt ex tolerantia celebrari Miſſæ pro Defunctis in duplici feſto, quod non ſit de præcepto; vt teſtatorum voluntates impleantur. ead *Sac. Congr. die* 1. *Sept.* 1607.

8 Sed ob Miſſam pro Defunctis, aut votiuam non poteſt ommitti Miſſa Conuent. ita *Sac. Congr. Rit. die* 16. *Ianuarij* 1627. & abrogata fuit quæuis alia conſuetudo contraria, *die* 12. *Iulij* 1628.

9 Miſ-

9 Miſſæ item pro Defunctis, aut votiuæ non poſſunt illis diebus celebrari, quibus fieri prohibetur de feſto duplici. *Ead. Sac. Congr. die* 28. *Aug.* 1627.

10 Miſſæ pro viuis, & Defunctis S. Gregorij, quæ circumferuntur non approbatæ à S. Rituum Congregatione, reiectæ ſunt, & prohibitæ ab eadem 8. *April.* 1628. Non ideo tamen Miſſas 30. prohibuit ab eodem D. Gregorio inſtitutas in Dial. cap. 55. ita nouiſſimè ead. S. *Cong.*

11 Littera N. in Oratione pro Defunctis nomen poſtulat Defuncti, ſi fuerit Nobilis, vel ſi conſuetudo ſit omnes nominandi.

12 Oratio in Miſſali pro Patre, & Matre eſt tantùm pro Patre, & Matre Sacerdotis, neque alteri conuenire poteſt, vt ex ſono verborum patet.

13 Si quis abſens moriatur, ſi de proximo obierit, Miſſa pro eo dici poteſt prima vice, vt in die Tertio, omiſſo tamen verbo *Tertium*.

## *De quibuſdam alijs Decretis S. Rit. Cong. ſuper Celebratione Miſſarum.* Cap. XVIII.

MIſſa de Annunciatione B. Virginis non eſt celebranda à feria 5 maioris Hebdomadæ vſque ad fer. 3. Paſchę incluſiuè. *Ead. Sac. Cong. die* 9. *Maij* 1606. *Gloria in excelſis,* cum *Credo*, ommittitur in votiuis pro re graui, quando dicuntur in paramentis violaceis, *die* 19. *Maij* 1607. Res autem grauis declarata fuit eſſe pro qua conuenit totus Clerus cum Epiſcopo, & apud nos quid ſimile erit.

2 In Altari priuati Oratorij, cui conceditur ex Priuilegio Apoſtolico celebratio Miſſæ (exceptis ſolemnioribus feſtis) non poteſt celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſſumptione B. Virginis, feſto SS. Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum: *die* 17. *Nouembris* 1607.

3 Diaconus non debet pacem Laicis ſæcularibus dare

in Miſſa, neque Domino loci. *die* 5. *Iulij* 1617.

4 Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, manibus tantùm deferri debet Sacerdotis, non autem ſuper Sacerdotum humeris, vt fit de Tabernaculo Reliquiarum, non obſtante quauis contraria conſuetudine: 2. *Iunij* 1618.

5 In Paraſceue ſi incidat feſtum Annunciationis B. Virginis, non tenentur fideles ad Miſſam audiendam, 19. *Febr.* 1622. Neque in eadem diſtribuenda eſt Euchariſtia alijs, quàm infirmis eadem die, vt ſupra.

6 Miſſa Roſarij prohibita fuit, conceſſa tantùm Ordini Dominicanorum: 25. *Iunij* 1622. Quamobrem qui onus habent celebrandi Miſſam de Roſario, (exceptis Dominicanis) poſſunt aliam dicere de Beata Virgine, *die* 6. *Maij* 1623. Vbi verò adeſt Capella, ſeu Altare Roſarij, in eius feſto (ex Greg. XIII.) in prima Dominica Octobris in Calend. vel poſt Calend. eiuſdem Octobris celebrando; Officium, & Miſſa celebrari poſſunt, vt in feſto S. Mariæ ad Niues, quod obſeruatur in Aede Lauretana, vel vt in Natiuitate B. Virginis, mutato nomine in *Feſtiuitatis*, quod fit Bononiæ; ſed illud priùs magis aliquibus placet, cum lect. 2. Nocturni de Natiuitate.

7 Miſſæ certis Regularibus conceſſæ, non poſſunt ab alijs dici, etiam in ipſorum Regularium Eccleſijs: 19. *Nouembris.* 1628.

8 Non debent poni paramenta in Altari, niſi pro Epiſcopis, 7. *Iulij* 1612.

9 Vſus pileoli in Miſſa etiam extra Canonem concedi debet à Papa, & non ab alio. *Congreg. Card. ſuper negot. Epiſc.* 2. *Ianuarij* 1590. *&* 17. *Ianuar.* 1595. *& ead. S. Cong. Rit. die* 3. *Ianuarij* 1626.

10 In feſto ſtigmatum S. Franciſci, color albus adhibetur. *die* 9. *Decemb.* 1623.

11 In Miſſa feriæ 4. Temporum occurrentis in die octaua Natiuitatis B. Virginis, Præfatio ferialis dicitur. *die* 12. *Decembris* 1626.

12 In

12 In Altari certis diebus priuilegiato, non poteſt in ijs dici Miſſa de *Requiem*, in feſto duplici de præcepto 24. *Aprilis* 1627.

13 In feſtis primæ Claſſis non dicitur Oratio, *Deus refugium*, quæ iuſſa ſit dici à maioribus per annum: *die* 28. *Auguſti* 1627. (*Accidit enim à ſuperiore decerni pro publica cauſa, quotidie dicendam orationem, Deus refugium, ſeu aliam, & tunc dicitur, vel loco tertiæ ad libitum, vel additur vti commemoratio.*)

14 In fine Miſſæ ad quodcunque Altare celebratę fit reuerentia. Cruci infra gradus, capite ſemper aperto. *die* 28. *Auguſti* 1627.

15 In Paraſceue non immittitur particula in Calicem, cum ſignis Crucis conſuetis: *die* 28. *Auguſti* 1627.

16 Si ob Terræ frigiditatem populus veniat ad Eccleſiam tardè pro ſolemni Miſſa, decreuit eadem S. Congregatio præſtare, quod recitetur tardius hora tertia, quàm quod cantetur Miſſa de feſto poſt ſextam, *Teſte Ioan. Alcozer. in ſuo Cærem.*

17 Eodem teſte, eadem Sacr. Congr. conceſſit inſignioribus Regularium Eccleſijs vſum planetarum plicatarum.

18 Et pariter eodem teſte, eadem decreuit, Celebrantem, & Miniſtros ſedere poſſe dum cantatur Epiſtola, & Graduale.

19 Miſſa duodecim Auxiliatorum prohibita fuit, *6. Ianuarij* 1617. Item, & de Patre æterno, & quaſcunque alias, exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ certis Regularibus tantum, veluti Roſarij, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & huiuſmodi, ſicuti etiam officia ab eadem non approbata, Sacr. eadem Congr. prohibuit, reiecit omnino, & damnauit reſpectiuè, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis haberi voluit, 8. *April.* 1628.

20 Abuſus deferendi nocte in feria ſexta Paraſceue Sanctiſſ. Euchariſtiam, *à Sac. Cong. ſup. neg. Ep. die* 22. *Martij* 1596. fuit abrogatus.

21 Ca-

21 Capellani Monialium Miſſam dicere poſſunt de Sancto, de quo fit officium à Monialibus, ſed cum Miſſali Romano 20. *Nou.* 1628.

*De nonnullis obſeruationibus, & concluſionibus circa Miſſarum Celebrationem.*
*Cap. XIX.*

SAcerdos Miſſam celebraturus, Amictum, cum imponit oſculatur in medio vbi Crux erit, ſimiliter Stolam, & Manipulum, ſed non dicit Rubr. quod ſe ſignet, & nunquam confiteatur Sacramentaliter cum Caſula, ſed eo caſu deponat eam.

2 Quando Rubrica dicit, quo ad fieri poteſt Miſſa cum officio conueniat; loquitur de priuatis Miſſis: Nam Miſſa Conuentualis debet ſemper concordare cum officio, cap. *Cum creatura de Celebrat. Miſſarum.*

3 Mutatio colorum in paramentis Altaris, & Miniſtrorum debet fieri in primis Veſperis feſti. Si autem Veſperæ non ſint integræ, is color adhibendus eſt initio Veſperarum, qui congruit illi, de quo dicitur capitulum.

4 Si officium, & Miſſa diſcordent, color Altaris ſequitur Officium, excepta Miſſa ſolemni in Vigilia Pentecoſtes, & in Litanijs maioribus, & minoribus.

5 Pro Miſſa quacunque ſolemni conuenit, vt pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Miſſæ, quod annotauit rectè P. Ruiz. in ſuo Cærem.

6 Qui Miſſas nouas celebrant, non poſſunt circuire Eccleſiam ad oblationem, ex Decreto, *Sac. Congr. Trident. Concil. ſeſſ* 22.

7 Quando Miſſa votiua exigitur v. g. de Aſſumptione B. V. de Natiuitate eiuſdem. & huiuſmodi, poteſt dici Miſſa votiua de B. Maria; prout in Miſſis votiuis, cum intentione ad honorem Aſſumptionis, Natiuitatis B. M. &c.

8 Si

8 Si dicatur aliqua Miſſa votiua de aliquo ſancto, mutatur in collecta (Natalitia, ſeu feſta) in verbum (commemorationem.)

9 Orationes; quæ ab Eccleſia certum habent locum, præcedunt quibuſcunque votiuis, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, & extremum occupant locum; & ſicut votiua, v.g. de Spiritu ſancto cedit commemorationi feſti ſimplicis, ita cedere debet orationi, *A cunctis*. vel alijs, quæ ſecundo, vel tertio loco iubentur dici. Cæteris autem paribus, attenditur dignitas eorum; de quibus eſt oratio.

10 Quando cantantur duæ Miſſæ à Dominica Paſſionis, vſque ad Dominicam Palmarum, ſcilicet de feria, & de Sancto ſemiduplici, tunc in Miſſa de ſemiduplici, Oratio ſecunda erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, neque dicitur tertia Oratio; Ita Romæ fit.

11 Quando occurrit fieri commemorationem alicuius Sãcti, verbi gratia in Officio B.M. in Sabbato, tunc in Miſſa ponitur commemoratio illius ſancti ſecundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ alias ſecundo loco dicenda erat, & relinquitur, quæ tertio loco erat dicenda, niſi fuiſſet facta commemoratio.

12 Dominica priuilegiata occurrens in die octaua, duas tantum habere debet orationes; de Dominica, & de octaua.

13 In die depoſitionis, & Anniuerſ. Sum. Pont. & pro Cardinalib. & Epiſc. dicitur prima Miſſa. Pro Sacerdote autem dictis diebus in pleriſque Eccleſ. maioribus Romæ dicitur ſecunda Miſſa pro Defunctis, mutata oratione. Si tamen dicatur Miſſa prima, fauet rubrica in fine Miſſarum pro Defunctis, quæ concedit, Epiſt. & Euangelia vnius Miſſæ dici poſſe in alia quacunque Miſſa pro Defunctis.

14 *Gloria in excelſis* in votiuis B.M. omnino non dicitur, niſi in Sabbato, nec etiam in Eccleſia B.M. Dicitur autẽ in Miſſis feſtiuis de Sancto, licet officium de eo non fiat in eius die feſto.

15 Omittens Sacerdos oſculum libri, omittit etiam *Per Euangelica*, &c.

### *De Benedictione Candelarum in Miſſa diei Feſti Purificationis B. M. V.* *Cap. XX.*

SI feſtum Purificationis venerit in Dominica fiat aſperſio aquæ benedictæ ante benedictionem candelarum.

2 Paretur Altare colore violaceo, ſed pallium violaceum ita accommodetur ſuper album, vt ſtatim finita benedictione, ammoueri poſſit dum fit proceſſio, non tamen amouetur, ſi hoc feſtum venerit poſt Septuageſimam, quia tunc vtitur Eccleſia colore violaceo, & album ſit concinne diſpoſitum.

3 Candelæ, Thuribulum, Nauicula incenſi, & vas aquæ benedictæ cum aſperſorio parentur ſuper aliqua parua menſa in cornu Epiſtolæ diſtincta ab Altari, ſupra quod in eodem cornu Epiſtolæ ponetur Miſſale apertum, *Caremon. lib. 2. cap.* 17.

4 Sacerdos Celebrans, dum orationes benedictionis dicit, ſtat manibus iunctis, & benedicturo manu candelas, Diaconus, qui cum Subdiacono vtitur planeta plicata ante pectus, eleuet fimbriam anteriorem Pluuialis.

5 Celebrans dum accipit candelam à digniori, ſtat in medio Altaris verſa facie ad populum medius inter Diaconum, & Subdiaconum paratos, quam acceptam dat alteri tenendam, vt facilius diſtribuere poſſit candelas.

6 Subdiaconus portans Crucem, non debet eſſe diſtinctus ab eo, qui miniſtrat, ſed ipſemet miniſtraturus Celebranti Crucem deferet.

7 Si feſtum hoc venerit in Dominica Septuageſimæ, in qua cantatur Miſſa de Dominica, Candelæ non tenentur accenſæ, nec ad Euangelium, nec ad eleuationem.

§ Si quæ alia hic deſiderantur, videatur infra de Proceſſione palmarum, & benedictione cinerum, vbi aliqua habentur, quæ huic loco ſunt communia.

## *De Benedictione in Miſſa feriæ quartæ Cinerum.* *Cap. XXI.*

CIneres debent eſſe aridi non in modum luti.

2 Paretur parua menſula à latere Euangelij, vbi ponantur vaſa pro abluendis manibus, cum mica panis, & mappa pro abſterſione manuum Celebrantis, qui diſtributis cineribus, antequam Miſſam incipiat, eas abluere debet in angulo Altaris. *Cærem.lib.2.c.18.*

3 Vas aquæ benedictę cum aſperſorio, & Thuribulum cum Nauicula, poterunt poni ſuper angulum Altaris, & ſuper eodem Altari verſus medium in eodem latere ponitur vas cum cineribus mundis, ex ramis oliuarum benedictis anni præteriti combuſtis.

4 Dum diſtribuit Celebrans cineres ſtat medius inter Diaconum, & Subdiaconum, & Diaconus à dextris tenet vas cum cineribus. Sint autem prædicti Miniſtri cum Planetis plicatis in maioribus Eccleſijs, & nullo modo cum Dalmaticis, aut omnino in Albis, vt in alijs Eccleſijs, quod ſemper obſeruandum erit, quo tempore prædictæ Dalmaticæ iuxta Rubr.Miſſ. interdicuntur.

5 Incedant bini, & bini PP. & Fratres graui, & decoro inceſſu, ac maxima humilitate ad accipiendum ſuper caput ſacros cineres, quas Prælati omnes cum reuerentijs debitis recipient ſtantes, & capite inclinato; reliqui verò omnes genuflexi.

6 Celebrantem cum procedit de Sacriſtia ad Altare, præcedunt tantum Acolythi cum candelabris, & candelis accenſis, miniſtri pares incedunt Celebranti, quia Pluuiale habet. *Cærem.Epiſc.lib.7.cap.15.*

7 Celebrans dum benedicit ſtat manibus iunctis, ad cuius

dexteram ſtat Diaconus, qui ipſi fimbriam anteriorem Pluuialis eleuabit; cum cineres eſt manu benedicturus.

8 Incenſum benedicitur de more, &c. miniſtrantibus Diacono, & Thuriferario.

9. Vas aquæ benedictæ defertur ab Acolytho, qui dat aſperſorium Diacono ſine oſculis; Diaconus Celebranti illud porrigendo oſculatur, qui Celebrans dum aſpergit dicit Verſiculum *Aſperges me*, &c. & nihil aliud.

10 Celebrans imponit cineres capitibus accipientium per modum Crucis, fœminis etiam non ſupra velum ſi fieri poteſt.

11 In diſtributione cinerum, Palmarum, & candelarum Celebrans ſemper ſtat capite aperto, ex decreto *Sacr. Rit. Cong.* 18. *Iulij* 1626.

## *De benedictione ante Miſſam in Dominica Palmarum.* *Cap. XXII.*

ANte benedictionem ramorum fit aſperſio aquæ benedictæ, & antequam fiat, Ceroferarij deponunt candelabra ſuper Credentiam.

2 Subdiaconus, & Diaconus portant (in hoc caſu) Manipulum, & Stolam, quia cantaturi ſunt Epiſtolam, & Euangelium.

3 Celebrans non deducit manus, ſed iunctas ante ſe eas tenet etiam ad *Oremus*, & orationes (quod ſemper fit extra Miſſam) & Miniſtri aſſiſtant pares Celebranti, non vnus poſt alium, vt poſſint eleuare fimbrias pluuialis, quoties opus fuerit, & Subdiaconus eadem prorſus facit, quæ pro Epiſtola Miſſæ, excepto, quod non defert librum Celebrantis ad cornu Euangelij, quod legit Celebrans, ſi velit in cornu Epiſtolæ. Omnia etiam fiant à Thuriferario, quæ dicta ſunt, dum loqueremur de Miſſa ſolemni, & Celebrans non deſerat cornu Epiſtolæ.

4 Celebrans dum cantat Præfationem tenet manus iun-

ctas,

ctas, & Miniſtri illi hinc inde pares aſſiſtunt, & cum eo dicunt, *Sanctus*.

5 Celebrans dum benedicit ramos ſiniſtram tenet ſuper Altare, & Diaconus eleuat fimbriam anteriorem Pluuialis.

6 Celebrans deponit proprium ramum in manu Acolythi, Diaconus ſuper Altare, qui deinceps ramos miniſtrabit Celebranti diſtribuendos, eos tantum oſculando, & à ſiniſtris manendo, cui alter Acolythus ramos porriget ſine oſculis: Si populus eſt multus, alij Sacerdotes poterunt laicis ramos diſtribuere, quod tamen paſſim non fiet, ſed in caſu.

7 Subdiaconus Miniſtrans ipſemet Crucem ferat cum Acolythis medius inter ipſos, qui ramos deponunt, vt alia facilius portare poſſint; Celebrans verò, & Diaconus illos geſtent capite cooperto.

8 Subdiaconus, cum Cantores intrauerint Eccleſiam, vertit imaginem Crucifixi ad Celebrantem, & percutit portam ſemel in ima parte, cum ima parte haſtilis *Cærem. Pap. lib. 2. cap. 39. & Rituale Pauli V.* ita modeſtè, vt illam tantum tangat ſine ſtrepitu. *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 21.* quæ porta ſtatim aperi debet, Subdiaconus cum peruenit ad Altare, deponit Crucem prope Credentiam.

9 Rami ferantur in manibus ad proceſſionem, & dum cantatur Paſſio, & Euangelium.

10 Celebrans dum legit in cornu Epiſtolæ paſſionem, palmam tenet ſiniſtra manu, quod facient, & miniſtri. *Cærem. Pap. lib. 2. cap. 45.*

11 Si non poſſit fieri proceſſio extra Eccleſiam, fiat intra eamdem, & quod ante portam præſtandum erat; fiat in veſtibulo ante ingreſſum capellæ maioris.

12 Paſſio debet cantari à tribus Diaconis diſtinctis ab eis, qui ſunt ad Altare, indutis Amictu, Alba, Cingulo, & Stola diaconali coloris violacei, & feria ſexta in Paraſceue, nigri cum manipulo, ait *Gauant. t. 1. Cærem. Pap. lib. 2. cap. 39. &*

*Cærem.*

*Cærem.Epiſc.lib.*2. *c.*21. Iſti procedunt de Sacriſtia circa finem Tractus hoc ordine: antecedit Cæremoniarius, deinde qui Euangeliſtam refert deferens librum ante pectus, quem ſequitur ille, qui Turbam, poſtremo qui Chriſtum figurat, omnes manibus iunctis, factis autem debitis reuerentijs Altari, accedunt ad cantandum verſus cornu Euangelij in plano capellæ, medium locum relinquentes illi, qui agit perſonam Chriſti, & dexterum Euangeliſtæ, & nullam petunt benedictionem. Si verò alicubi ſit conſuetudo cantandi in pulpito, obſeruari poterit, & cantari in paruis Conuētibus à Diacono & Subdiacono Miſſæ (qui ſit Diaconus, & cantaturus Paſſionem ſumat Stolam, moxq. ea finita deponat) cum alio Diacono non autem à Celebrante.

13 Dum Celebrans legit ſubmiſſa voce Paſſionem in cornu Epiſtolæ, ad illa verba *emiſit ſpiritum* non genuflectit, ſed lecta ea parte, quæ eſt in tono Euangelij conuertit ſe ad Cantores Paſſionis. *Cærem. Pap.* & tunc ad ea verba, *emiſit ſpiritum*, dum à Cantore cantantur, omnes genuflectunt, Celebrans, & alij verſus Altare, Diaconi, Cantores verſus librum; ſignum verò ſurgendi poſt pauſam datur à Diacono, eo ipſo quod ſurgit. *Cærem. Epiſ. cap.*25 *lib.*2. pauſa erit vnius *Pater noſter*. *Cærem. Pap. lib.* 2. *cap.*39. quare tollatur abuſus, quo Celebrans dat ſignum manu cum ſtrepitu ſuper librum depoſitum.

14 Cum qui gerit vicem Euangeliſtæ peruenerit ad illam partem, quæ legi debet in tono Euangelij, facta cum alijs Diaconis debita reuerentia recedit, & Diaconus Miſſæ portat librum ad Altare, & alia facit de more ad Euangelium; exceptis ijs, quæ clara ſunt in Rubrica.

15 Si deerunt Cantores ad cantandam Paſſionem, Diaconus Miſſæ ſolus illam totam cantabit, qua finita redit ad Altare, ac reliqua facit, vt in Rubr. Quæ omnia alijs diebus obſeruabuntur, dum Paſſio eſt cantanda, excepta feria ſexta, in qua aliter eſt obſeruandum poſt hæc, quod patet in Rubrica.

*De*

## *De notandis in Miſſa feriæ quintæ in Cœna Domini. Cap. XXIII.*

QVæ de proceſſione dicenda erant, habentur in principio libri, vbi omnia diffusè tractantur.

2 Subdiaconus hoc loco calicem de Credentia defert ad Altare cum velo paruo eiuſdem Calicis ſine velo oblongo, quod alias non facit, & velum, quo calix operitur cum Hoſtia intus conſecrata, album eſſe debet.

3 Ad denudationem Altarium procedunt Sacerdos, & Diaconus cum Albis tantum, & Stolis violaceis, Subdiaconus verò cum Alba tantum ſine manipulo.

4 Non eſt remouenda ab Altari Crux velata, & candelabra, neque Pſalmus eſt repetendus, ſi multa ſint Altaria.

5 Hoc triduo tranſeuntes ante Crucem, quæ eſt in Altari maiori, reuerentiam illi faciunt cum genuflexione, excepto Celebrante parato.

6 Locus in aliqua capella diſtincta hodie præparandus, velis, aut cortinis nigris non debet ornari.

## *De mandato in feria quinta Cœnæ Domini. Cap. XXIV.*

COngruum erit, vt vbi fit mandatum ſit Altare cum pallio albo, Cruce, & candelabris, ad ſignificandam munditiam, cuius gratia lauantur pedes.

2 Poterit etiam parari credentia à latere ſiniſtro, ſupra quam collocabuntur Miſſale, linteum Sacerdotis, vaſa ad abluendas in fine manus eiuſdem, & alia huiuſmodi, non floribus, aut herbis ornata.

3 Scamna neceſſaria habeantur pro lauandis cum tapetibus, quæ tapetia ſint ita ampla, vt Celebrans ſuper ijſdem genu-

genuflexus lauare queat, ne Albam fœdet.

4 Diaconus debet portare manipulum, quamuis Sacerdos illo non vtatur, qui cantare debet Euangelium.

5 Si fiat proceſſio à Sacriſtia ad locum præparatum, Subdiaconus medius inter Acolythos deferat Crucem more ſolito, quam deponit propè Altare in cornu Euangelij.

6 Finita incenſatione Celebrantis poſt Euangelium, Miniſtri deponant Manipulos, vt Celebranti facilius inſeruiant

7 Celebrans nulli ex lotis faciat ſuper pedes ſignum Crucis manu.

8 Diaconus nulli aquam pedibus infundat, ſed tantum linteum Sacerdoti porriget, & colliget, quando opus erit, ſtans à dextris.

9 Dum Celebrans dicit, *Pater noſter*, &c. poſt lotionem ſtabit in medio Altaris iunctis manibus, librum tenentibus Diacono, & Subdiacono.

10 Finita oratione, vel exuitur ibidem, vel redit Celebrans cum Miniſtris in Sacriſtiam ordine, quo venerant.

## *De notandis in Miſſa feriæ ſextæ in Paraſceue. Cap. XXV.*

QVæ ad proceſſionem attinent iam dicta ſunt in principio, & quæ ad Paſſionem cantandam ſpectant habentur paulò ſuperius, vbi de Dominica Palmarum: quæ ſequuntur, præter hæc, ſunt adnotanda

2 Altare, vbi Miſſa erit celebranda, nudum erit cum Cruce nigro velo tecta, ita vt ſuo tempore detegi queat facilè, & candelabris ſex obſcuri coloris, & candelis extinctis ex cera communi non alba, pro vt etiam in Proceſſione hac die facienda. Gradus Altaris nudi erunt, ſed valde mundi pro proſtratione Sacerdotis. Credentia ſimplex erit in ſuperiori tantum parte linteo cooperta, cum neceſſarijs tantum ad officium. Burſa cum Corporali, & Purificatorio, ampul-

ampullis vini, & aquæ, vaſe vitreo ad ablutionem digitorum, Miſſalibus duobus, & cuſſino, Mappa longa pro Altari, velo longo albo pro Celebrantis humeris ad Sanctiſſimum Sacramentum reportandum, & candelabris Acolythorum cum candelis ex cera communi, vt ſupra.

3 Procedunt igitur è Sacriſtia Miniſtri, præeũtibus Acolythis, ſine candelabris, cum paramentis, vno poſt alium Miniſtro, vt ad Miſſam.

4 Sub capitibus Miniſtrorum dum proſtrantur, ponentur cuſſini coriacei, vel alterius generis, poſitiui tamen, & qui non ſint de ijs, qui ſunt ad vſum Miſſalis in Altari.

5 Celebrans dum alij genuflectunt ſolus ſtare debet, genuflectit autem Diaconus ante alios dicens, *Flectamus genua*, Subdiaconus ante alios ſurgens dicit *Leuate*. quod ſemper ſeruatur, quando dicendum eſt, *Flectamus genua*.

6 Subdiaconus in fine lectionis; In diebus illis, non oſculatur Celebrantis manum.

7 Quando Sacerdos incipit *Oremus dilectiſſimi*, ſtant Diaconus, & Subdiaconus poſt Celebrantem vnus poſt alium, vt in Miſſa.

8 Acolythi, dum denudatur à Celebrante Crux extendant tapete pulchrum, cum cuſſino pretioſo, & velo longo albo ſuper gradus Altaris, verſus planum Capellæ, genuflexus Celebrans ibidem deponat Crucem ſuper velum, & cuſſinum.

9 Celebrans deponit calceamenta prope ſcamnum à latere Epiſtolæ illi paratum ad ſedendum, & Celebrans ſolus adorat, & Miniſtri deinde, & cæteri.

10 Conuenit, vt vniformis ſit omnium actio pro locorum conſuetudine, tum in oſculo membrorum Crucifixi, tum in æquali pauſa, qua ſinguli genua flectant.

11 Ordo adorationis eſt, vt quilibet laicus, etiam Princeps poſt clerum adoret. Prælati verò, ſi qui adſunt, poſt Celebrantem. Sacerdos interim ſedens, ſi velit poteſt legere improperia.

12 Cum accenduntur candelæ ſuper Altare, accenduntur etiam, quę ſunt ſuper Credentiam pro Acolythis.

13 Diaconus cum extendit Corporale ponit purificatorium in cornu Epiſtolæ more ſolito, & tunc Cæremoniarius, vel, ſi abeſt, Acolythus transferet Miſſale cum cuſſino ad cornu Euangelij.

14 Cum Diaconus Crucem ad Altare portat, nemini reuerentiam faciat, ſed & Celebrans aſſurgere debet tranſeunti Cruci, ex *Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 26.* cui genufleĉtit cum Subdiacono, amoueaturque ſtatim ab Acolythis tapete cum velo, & ſi multus ſit populus, poterit collocari alia Crux à Sacriſta Sacerdote, cum Stola nigra ante aliud Altare, ad quam adorandam accedant tum mares, tum fœminæ, & hoc, ne proceſſio, & ſequens officium nimis protrahatur.

## *De obſeruandis in Miſſa Sabbati Sancti. Cap. XXVI.*

SVbdiaconus, & Diaconus hodie etiam ante Miſſam vtuntur Manipulo. *Cærem. lib. 2. cap. 28.* quem ſumunt poſt benedictionem ignis, & granorum incenſi, ad quam benedictionem erunt in paramentis violaceis ſine Manipulis. In proceſſione autem, quæ fit ad Portam Eccleſiæ, vbi excutitur nouus ignis, præcedent Acolythi geſtantes aquam benedictam, Thuribulum ſine igne cum Nauicula, Peluiculam cum quinque granis incenſi abſque alio thure tunc benedicendo, & Arundinem candelæ triangularis, Miſſale autem deferet, vel alter Acolythus, vel Cæremoniarius qui omnino aderit; deinde Subdiaconus Epiſtolam cantaturus paratus, ſcilicet, Amictu, Alba, Cingulo, & Planeta violacea ante pectus plicata; qui vbi ad locum peruenerint ſiſtit ſe cum Cruce ad Fratres conuerſa in Porta ante faciem ipſius Celebrantis, ante quem erit foculus cum igne (excuſſo iam è ſilice quando dicebatur Nona) ſuper aliquod ſcamnum, item forcipes ferreæ & candelulæ cum lignis ſulphuratis.

Legit

Legit interim (non cantat) manibus iunctis Celebrans Orationes proprias vt in Miſſa, Acolytho, ſeu Cæremoniario librum tenente, & Diaconus, dum Celebrans benedicit, fimbriam eleuat Pluuialis, & Nauiculam pariter de more miniſtrat,& aſperſorium,& Thuribulũ cum ſolitis oſculis. Aſpergat autem Sacerdos ignem nouum, vt ad alia benedicenda fit, hoc eſt in medio à dextris, & à ſiniſtris ipſius ignis, ab ipſo de more (hoc eſt Nauicula per Diaconum miniſtrata) in Thuribulum thure immiſſo. Quo facto Diaconus accipit Stolam,Manipulum,& Dalmaticam albam,Subdiaconus verò Manipulum coloris violacei. quæ omnia erunt ibi in opportuno loco præparata; & in redeundo Thuriferarius præcedit, habens à dextris Acolythum deferentem grana, ad ſiniſtram Diaconi Arundinem deferentis,procedit Acolythus cum candela, etiam intra laternam de nouo igne accenſa, & reliqua fiunt, vt in Miſſ. Poterit etiam fieri noui ignis benedictio in Sacriſtia, vel in alio loco opportuno, ibique poſt dictam benedictionem acceptis à Diacono Stola, Manipulo, & Dalmatica alba, à Subdiacono autem Manipulo,& Planeta violacea ante pectus plicata, vel ſaltem in albis,vt alias,remanente, cum Cruce extra Eccleſiam inde proceſſionaliter ire, & per Portam maiorem intrare, vt *ex Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 28. Quod fortaſſe commodius erit. *Exultet* autem cantatur in loco ipſo, vbi decantari ſolet Euangelium. Celebrãs in Miſſa poſt Epiſtolam ſtans in cornu Euangelij cantat *Alleluia*,& cum Miniſtris poſtea ibidem Pſalmum dicit,& *Magnificat*.

2 Candela de nouo igne accenſa, poterit, ſi opus fuerit, intra laternam includi, ne à vento extinguatur.

3 Diaconus non inclinabit Arundinem cum candelis, niſi prius Celebrans ſit Eccleſiam ingreſſus.

4 Diaconus dum cantat Cerei benedictionem non ſignat librum, neque ſeipſum. Miniſtri verò hinc inde ſtantes reſpiciunt librum, vt Diaconus, rectam quaſi efformantes lineam cum Diacono medio, ita tamen, vt latera, non terga

vertant Altari; pro Cereo autem benedicendo, Candelabrum magnum in latere collocabitur Euangelij, & ſuper eo mane opportunè Cereus ipſe, ante quem legile ſtatuatur pãno albo, oblongo veſtitum, ſuper quo Miſſale clauſum ponatur.

5 Ordo figendi grana incenſi in Cereo eſt, vt primum in ſuperiori parte, alterum in media, tertium in inferiori, quartum in dextera Cerei, quintum in ſiniſtra.

6 Nullus præter Papam, Epiſcopum, & Imperatorem, omnino nominetur, & Sede Romana, vel Epiſcopali, vel Imperiali vacantibus, tacetur nomen Papæ, vel Epiſcopi, vel Imperatoris.

7 Prophetiæ legantur in medio Chori, vel ante Altare, ita vt lector ab omnibus audiatur. *Cæremon. Epiſc. lib. 2. cap. 27.*

8 A Miniſtris illud obſeruandum, vt dum Celebrans Prophetias legit, aſſiſtant, vt ad Introitum Miſſæ. Dum Celebrans orationes dicit, ſtant poſt ipſum, vnus poſt alium.

9 Si ſedere voluerit Celebrans poſt lectam in Altari Prophetiam, ſedeat ad ſcamnum conſuetum, ſed nudum, in latere Epiſtolæ, ad illud autem eat per viam breuiorem cum Miniſtris, & redeat per longiorem, factis debitis reuerentijs ad medium Altaris; nullo autem modo ſedeat ad Altare, quod Epiſcopo tantum conceditur.

10 Ordo legendi Prophetias hic erit, vt primas legant minores, poſtremas maiores, niſi aliud neceſſitas ſuadeat.

11 Si Eccleſia habuerit fontem baptiſmalem, expletis Prophetijs, & orationibus, accedit, vt in Rubrica ad fontem baptiſmalem.

12 Vbi verò non fuerit baptiſmus, Celebrans, & Miniſtri procumbunt in albis ante Altare, ſub quorum capitibus poterunt poni cuſſini coriacei.

13 Litaniæ non inchoantur ad fontem, ſed apud Altare. *Cærem. lib. 2. c. 29.*

14 Cum

14 Cum peruentum fuerit ad *Peccatores*, Cantores ita tardè cantabunt, vt Sacerdos, & Miniſtri poſſint procedere ad Altare, & interim remouetur ab eodem Altari pallium violaceum, & ornatur albo.

15 Quia non debent vnquam campanæ pulſari, niſi dato ſigno in Cathedrali, vel matrice Eccleſia, ſi contingat officium in aliqua ex noſtris Eccleſijs ante hoc ſignum compleri, in tali caſu pulſabuntur campanæ, quæ ſunt intra parietes ipſius Eccleſię dato verò ſigno à Catedrali, ſiue; matrice Eccleſia, dabitur ſolemne ſignum etiam in noſtris Eccleſijs cum maioribus campanis.

16 Non incipiet Celebrans *Alleluia* poſt Epiſtolam, niſi prius oſculata illius manu à Subdiacono.

17 Sacerdos, dum cantantur Veſperæ (cuius Antiphona *Alleluia*, debet à digniori in Choro incipi) non exuit planetam, vt induat Pluuiale.

18 Sacra Rituum Congregatio 19. *Maij* 1607. cenſuit, Cereum Paſchalem regulariter accendi debere ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis; & Dominicis vſque ad Aſcenſionem; in alijs ſeruandum eſſe locorum conſuetudinem.

19 Qui dixerit Veſperas in Sabbato ſancto exra Miſſam, dicto *Pater noſter*, & *Aue Maria*, incipiat abſolutè ſine *Deus in Adiutorium*, &c. & dicto *Fidelium animæ*, recitet *Pater noſter*, quo hac hora finitur.

### *De nonnullis admonitionibus circa Miſſarum Celebrationem in communi, in præcedent. Capit. prætermiſſis.* Cap. XXVII.

Effluxerant, quæ hoc loco reponuntur, nonnulla admonita ad ſuperiorem tractatum pertinentia, & notatu digna videlicet: Pyxis, vel Sphæra cum Sanctiſſimo Sacramento quando portatur, ſemper capiatur per nodum vaſis, & ita

& ita deferatur, vt dextera manus ſit admota nodo vaſis, ſiniſtra verò pedi.

2 Non Sacerdos, ſed Diaconus librum claudit in fine Miſſæ ſolemnis.

3 Celebrans in fine Miſſæ, non tenetur dicere ſubmiſſa voce *Ite Miſſa eſt*, quando illud cantat Diaconus.

4 *Humiliate capita veſtra Deo*, dici debet à Diacono verſus Populum (ſicut & *Ite Miſſa eſt*) in cornu tamen Epiſtolæ.

5 Decens admodum eſſet, vt in Sacriſtia duo Manutergia pro Sacerdotibus eſſent, alterum ſcilicet, ad abſtergendas eorum manus ante Miſſam, & alterum poſt Miſſam.

6 Hymnus trium puerorum, & *Laudate Dominum in Sanctis eius*, cum Antiphona (& ea duplicata, quando alia Antiphona, *Ne reminiſcaris* duplicatur) debent à Sacerdotibus poſt Miſſam recitari, etiam in redeundo ad Sacriſtiam; & olim tenebantur ad hoc ſub pœna excommunicationis, quæ tamen hodie non ligat; & in Sacriſtia iterum fit reuerentia imagini.

7 Quandocunque Miſſa Defunctorum ſolemniter, vt Conuentualis, celebratur, vnica tantum oratio dici debet, quod etiam erit obſeruandum in Miſſis priuatis, quando maiori apparatu fiunt exequiæ pro Defuncto, etiam extra depoſitionis diem primum, tertium, ſeptimum, trigeſimum, & Anniuerſarium.

8 In Miſſis votiuis B.M V. ſecundo loco dicitur oratio de officio illius diei, tertia de Spiritu ſancto. In Sabbato verò, quando de ea fit Officium, ſecunda erit de Spiritu ſancto, tertia *Eccleſiæ*, *vel pro Papa*.

9 In alijs Miſsis votiuis puta Angelorum, & aliorum, quæ propriam non habent Præfationem, dicitur Præfatio de tempore, vel de octaua, infra quam contigerit prædictas Miſſas celebrari (non tamen *Communicantes*,) alioquin Præfatio communis.

10 In Dominica Palmarum Euangelium vltimum erit, quod

quod ponitur in benedictione oliuarum, & regulariter Euangelium, quod legitur in officio, item, & in Miſſa de eodem officio legitur: & è contra.

11 Pars Burſæ aperta ſuper Calicem, pectus reſpiciat Sacerdotis, dum illum portat.

12 Celebrans poſt incenſationem Crucis in Miſſa, ſeu Veſperis, reliquias, ſiue Imagines de more incenſando, ſi ibi fuerint, caput eis non inclinat.

13 In plano Capellæ, non ſupra gradum aliquem Altaris facienda eſt Confeſſio, & ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti Sacerdos meminerit genuflexionis prius faciendæ.

14 Cum Sacerdos eſt oſculaturus Altare, ſeu librum, vel aliud nunquam ſuper rem, quam velit deoſculari formabit ſignum Crucis.

15 Cum producit ſignum Crucis ſuper aquam, quam infuſurus eſt in Calicem, teneat ſiniſtra manu nodum Calicis.

61 Cum ſignat ſe Sacerdos Hoſtiam ſumpturus, Patenam non moueat ſimul cum Hoſtia, ſed Hoſtiam tantum, quæ tamen non egrediatur orbem patenæ.

17 Antequam velo cooperiat Calicem, plicat corporale, & reponit in Burſam, Calicem verò dum plicat Corporale collocat ad cornu Epiſtolæ, vt commodius Burſam deinde accipiat, quæ eſt in cornu Euangelij. In fine autem Miſſæ accepturus Calicem reuoluit ſuper eum partem anteriorem veli.

18 Qui perſpicillis vtuntur, ea nunquam ſuper Corporale deponunt.

19 Celebrans ne, cum abluit digitos in Miſſa ſuper Càlicem, commaculet Corporale, cadēte aliqua gutta è digitis, Calicem deponat extra Corporale, donec digitos abſterſerit: ablutionem verò in medio Altaris ſumat.

20 Dum fit abſolutio ad Tumulum, ſi eleuetur Sacramentum in aliquo Altari, non debent genuflectere nec Celebrans, neque Miniſtri. Sed quidem melius erit, quod Miniſter in ea eleuatione non pulſet campanulam, & hoc quia

ſacra

ſacra actio non debet interrumpi, (quod obſeruà in ſimili caſu.)

## *De Prætermiſſis in Miſſa fer. 6. in Paraſceue.* *Cap.* XXVIII.

IN Miſſa fer. 6. in Paraſc. ommittuntur oſcula manus, & rerum, & velum quod imponitur humeris Celebrantis album ſit, non nigrum, & ſimili modo Baldachinum album eſſe debet, vt conformetur cum velo albo.

2 Celebrans ponendo Calicem acceptum à Diacono (*vt in Rubr.*) ſuper Altare, ſicut nihil dicit, ita neque ſignum Crucis, vt aliàs, facit cum Patena, aut Calice.

3 Incenſum non benedicitur in eadem Miſſa, quia licet Altare incenſetur, non tamen incenſatur Celebrãs, neque alij; Manus autem lauat extra Altare, vt in Rubr. facie ad populum verſa, & gradus deſcendendo, vt ſupra adnotatum fuit. Cum verò particulam immittit in Calicem nullum Crucis ſignum facit. Ablutio non fiet Calicis, ſed digitorum tantùm in Calice, miniſtrante Subdiacono ampullas.

4 Diaconus librum claudit, Subdiaconus plicato Corporali, Calicem ad Credentiam reportat, & poſtremo cum debitis reuerentijs redeunt omnes, modo, quo venerant ad Sacriſtiam.

## *De ordine genufleƐtendi, & ſtandi in Miſſa priuata.* *Cap.* XXIX.

NOn videtur incongruum, vt hoc loco apponatur ordo genufleƐtendi, & ſtandi in Miſſis priuatis, quinimo neceſſarium erit ad maiorem commoditatem, ipſam Miſſalis Rubricam totam deſcribere, prout etiam in ſeq. cap. fiet pariter de Miſſa ſolemni.

## XVII.

IN *Miſſa priuata Sacerdos genuflectit quando legit Euangelium* S. *Ioannis*, In principio, *ad illa verba*, Et verbum caro factum eſt; *& in Euangelio Epiphaniæ*, Cum natus eſſet Ieſus, *ad illa verba*. Et procidentes adorauerunt eum. *Item in Euangelio Feriæ 4. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, ad illa verba in fine*. Et procidens adorauit eum. *Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Miſſis de Cruce ad illa verba in Epiſtola*, In nomine Ieſu omne genuflectatur, *&c. & quando legitur Paſſio, ad illa verba*, expirauit, *vel* emiſit ſpiritum, *vt ſuis locis notatur. Item genuflectit cum dicit*. Flectamus genua. *Item quando in Quadrageſima dicit in tractu Verſ.* Adiuua nos Deus, *&c. & in omnibus Miſſis de Spiritu ſancto cum dicit Verſum*, Veni ſancte Spiritus, reple, *&c. Item quando Sacramentum in Altari diſcoopertum apparet, genuflectit, quoties ante illud tranſit in medio Altaris, & quandocumque in ordine Miſſæ, & ritu ſeruando in celebratione Miſſæ notatur, quod debeat genuflectere*.

2 *Circumſtantes autem in Miſſis priuatis ſemper genuflectunt, etiam tempore Paſchali, præterquam dum legitur Euangelium*.

1 In Miſſis priuatis Celebrans, vt facilius ſurgat, vnico flectit genu.

2 Vbi Rubrica dicit, quod genuflectatur, erit genuflectendum etiam ſi fuerit tempus Paſchale, vel dies Dominicus, cùm adorationes cum genuflexione non ſint eo tempore prohibitæ, ſed orationes. Quod eſt bene notandum.

## *De ordine genuflectendi, ſedendi, & ſtandi in Miſſa ſolemni. Cap. XXX.*

### Rubr. Miſſal. XVIII.

*IN Miſſa ſolemni Celebrans genuflectit ad omnia ſupradicta, præterquam ad*, Flectamus genua: *& tunc ipſe ſolus ſtat, Diaconus verò, & Subdiaconus, & omnes alij genuflectunt. Ad Verſum verò*, Adiuua nos Deus, *&c. & ad Verſum*, Veni ſancte Spiritus, *&c. genuflectit vſque ad finem. Item genuflectit in die Annuntiationis B. Mariæ, & in tribus Miſſis Natiuitatis Domini, etiam quando cantatur in Choro*, Et incarnatus eſt, *&c. Alijs diebus, ſi ſedeat, cum cantantur ea verba, non genuflectit, ſed caput tantum profunde inclinat: ſi non ſedet, genuflectit.*

4 *Miniſtri ſemper genuflectunt cum Celebrante, præterquam Subdiaconus tenens librum ad Euangelium, & Acolythi, tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba, ad quæ eſt genuflectendum, ipſe verſus librum, Celebrans, & omnes alij verſus Altare genuflectunt.*

5 *In Choro genuflectitur ab ijs qui non ſunt Prælati, ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo. In Miſsis autem Feriarum Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor temporum, & Vigiliarum, quæ ieiunantur, ac in Miſſis Defunctorum, genuflectunt, omnes etiam ad Orationes, & dicto per Celebrantem*, Sanctus, *vſque ad* Pax Domini, *& ad* Orationes poſt Communionem, & ſuper populum, *excepta Vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, ac Natiuitatis Domini. Et ſimiliter ab omnibus genuflectitur quando eleuatur Sacramentum.*

6 *In Miſſa item ſolemni Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſedere poteſt à cornu Epiſtolæ iuxta Altare, cum cantatur* Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, & Credo, *alio tempo-*

*tempore ſtat ad Altare, vel genuflectit, vt ſupra.*

7 *In Choro ſedent quando Celebrans ſedet, & præterea dum cantantur* Epiſtola, & Prophetiæ, Graduale, Tractus, *vel* Alleluia *cum* Verſu, *ac* Sequentia, *& ab* Offertorio *vſque ad incenſationem Chori, & ſi non incenſetur vſque ad* Præfationem, *& ad* Antiphonam, *quæ dicitur* Communio. *Ad alia ſtant, vel genuflectunt, vt ſupra.*

1 In Miſſa ſolemni ad ea omnia Celebrans vnico genu debet genuflectere, quæ ſunt communia Miſſæ priuatæ, duobus autem genibus in Miſſa ſolemni flectere debet ad prædicta, quæ à Choro cantantur, & regulariter, quando cum aliqua morula in prædictis eſt genuflectendum, & quaſi orandum.

2 Miniſtri verò intra Miſſam eadem ſeruare debent, quæ facit Celebrans, vt expeditius illi miniſtrent. Ad *Flectamus genua*, integrè genuflectant ambobus genibus.

3 Subdiaconus, dum tenet Patenam, non genuflectit cum Celebrante.

4 Alij Fratres de Choro debent genuflectere ambobus genibus à conſecratione vſque ad communionem, tranſeuntes ante Altare, & item quando expoſitum ſit Sacramentum in Altari. Item ad *Flectamus genua*, ad Confeſſionem, Orationes Ieiuniorum, Verſus, &c. de quibus in Rubr. quando cum aliqua mora genuflexio ratione cantus, vel longioris actionis præſcribitur.

5 Sed notandum eſt, quod, facta genuflexione, vbi facienda ſit, non amplius fiat alia reuerentia, aut inclinatio humerorum, vel capitis.

6 Cantores ad Introitum, quando illum cantant, non genuflectunt ad Confeſſionem, quia ſtare debent ad Lectorile. Sedetur autem, vt in Rubr. Miſſ. quando Celebrãs ſedet, ad *Kyrie, Gloria, & Credo*, videlicet, ſi hæc cantentur à Muſicis, non autẽ à Fratribus in cãtu Gregoriano *Cær. Can. Reg. c.* 2 *Camald lib.* 1. *c.* 12. *Carm. & aliorum*, & tunc duo Cantores (ſi ad Organum cantetur à Muſicis) hæc eadem

M 2 legant

legant in Choro ſubmiſſa, & intelligibili voce. vt de *Credo* ſupra dictum fuit. Celebrans autem ad iſta ſupradicta regulariter ſemper ſedeat, (niſi expoſitum fuerit Sacramentum.)

Quod ſi à muſicis in Choro cantetur, & non ad organum extra Chorum, tunc Fratres ea dicant inter ſe bini, & bini (quod pari modo, & de *Credo* facient) deinde ſedeant. Erit autem conueniens hoc caſu, vt liber ad Superiorem deferatur, ex quo iſta legat. Muſici vero ad Verſum, *Et incarnatus eſt*, debent, & ipſi (ſi commodè fieri poteſt) genuflectere. Sedetur præterea ad alia, quæ in Rubrica Miſſalis notantur, videlicet, ſi à Muſicis, vt ſupra cantentur, vel, ſi iſta eſſent ita communia, vt facilè, & æquè bene memoriter cantari poſſent, vel Lectorile ita eſſet vicinum cum libro, vt ex eo ſimiliter abſque vllo errore ab omnibus canerentur.

7 Ad quatuor Tempora Pentecoſtes, ſicut ad Vigiliam eiuſdem Pentecoſtes, & Paſchæ, & Natiuitatis Domini non genuflectitur. ita *Gauant.par.*1.*tit.*17.

8 Ab omnibus genuflectitur initio Canonis. *Cærem.Epiſc. lib.*2. *cap.*8.

9 Poteſt Celebrans cum Miniſtris ſedere etiam dum cantatur Epiſtola, & Graduale, ſi datur tempus. ita *Sac. Rit. Cong. referente Alcoc. in ſuo Cærem.* & ſemper ſedent capite cooperto. Acolythi verò nequaquam ſedeant ad Epiſtolam; & quando ſedent vnà cum Celebrante, ſedeant ſuper Altaris gradu, in cornu Epiſtolæ, facie verſa ad Celebrantem, non ad populum.

10 Dum Oblata incenſantur adhuc eſt ſedendum in Choro. *Cærem.Epiſc.ibidem*.

11 Monet Cærem. Epiſc.*lib.*2. *cap.*8. vt Communio cantetur immediatè poſt *Agnus Dei*, at ſi cantaretur dum Populus communicatur, ob reuerentiam Sanctiſſimi Sacramenti ſtandum eſſet: facta verò communione Celebrantis, & aliorum, ſedetur.

12 Ad alia (inquit Rubr.) ſtare debent. Alia verò ſunt Introi-

Introitus. Oratio,(exceptis diebus ieiuniorum, quibus, vt ſupra genufleximus.) Præfatio.(non genuflectendo,niſi initio Sacri Canonis,vt ſupra ex *Cærem.Epiſ.lib.2.cap.*8.) Item ſtatim depoſito Calice. vnde regula eſt; quod ſtare in Feſtis debemus poſt eleuationem Sacramenti, vſque ad poſt communionem, ad quam, vt ſupra ſedetur. Item Oratio poſt communionem.

13 Standum erit prætérea vſque ad finem Miſſæ, cum neque ſedere, neque genuflectere iubeamur. quæ regulæ à laicis quoque ſæcularibus in Miſſa ſolemni obſeruari poterunt.

Et hæc de Miſſa ſatis. illud tamen reſtat aduertendum; quod in Miſſa, quæ coram Reuerendiſſimo Gener. celebratur, eadem in Eccleſijs noſtris obſeruentur, quæ de Miſſa coram Prælatis ſupra fuerunt expreſſa.

*Finis Secundæ Partis.*

CAERE-

Digitized by Google

# CAEREMONIALIS

## SECVNDVM ORDINEM S. R. ECCLESIAE

*Ex Praxi Cæremoniarum, & Commentarijs in Miſſalis, & Breuiarij Rubricas.*

De ijs, quæ pertinent ad Officium diuinum, tam ſolemne, quàm non ſolemne, & priuatum.

## PARS TERTIA.

*De Veſperis ſolemnibus, & primum de initio earum vſque ad incenſationem Chori.*

*Cap. I.*

HOra competenti conuenient omnes Fratres in Sacriſtia, vbi per Sacriſtam parata debent eſſe prius omnia neceſſaria. Celebrans paratur Pluuiali coloris tẽpori congruentis ſuper cottam ſine ſtola, vel vbi eſt conſuetudo, ſuper Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam, quo caſu non dicet orationes illas, quæ dici ſolent ad has veſtes in Miſſa, & ſtolam tranſuerſabit in modum Crucis, ſicut in Miſſa ante pectus. Parantur cum ipſo Celebrante quatuor, vel ſex Fratres cum Pluuialibus eiuſdem coloris iuxta Feſtorum qualitatem, vt inf. vel ad minus, vbi non fuerit ſufficiens Fratrum numerus duo, qui eidem hinc inde, quando opus eſt, miniſtrent. Horum autem nullus Cantorum munus exerceat, & ſi deerunt Pluuia-

lia,

lia, induantur ſuperpelliceis. Parentur item duo Cantores cottis, tantum qui Antiphonas pręintonent, legant & pſalmos intonent. Duo Ceroferarij (qui ad Oſtium Sacriſtiæ cum candelis accenſis expectabunt) & Thuriferarius. Tunc & non prius, proceſſionaliter è Sacriſtia Chorũ verſus procedent (& interim pulſetur Organum, ſi adſit) per viam anteriorem Altaris maioris hoc ordine: Primi omnium erunt Ceroferarij cum Candelabris, & candelis accenſis, ſequetur Cęremoniarius, ſi aderit, & Acolythus cum libro Manuali cooperto ſuo ſerico integumento à ſiniſtris, & Cantores cottis induti, tũ alij Fratres bini, & bini, deinde Miniſtri Pluuialibus induti; poſtremò Celebrans medius inter duos Pluuialibus indutos, qui fimbrias anteriores Pluuialis ipſius parumper eleuant, & omnes hi Pluuialibus parati cooperto capite, & iunctis manibus procedunt, cæteri verò minime.

2 Cum Fratres peruenerint ad Altare, factis debitis reuerentijs Altari, & ad inuicem, Chorum ingrediuntur. parati autem expectabunt Celebrantem cum alijs Miniſtris; qui omnes ſimul ſtabunt ante Altare recta linea, ita vt Ceroferarij ſint omnium poſtremi, hinc inde à lateribus genuflectant omnes, Celebrans autem caput tantum inclinat ei; (niſi adſit Sanctiſſimum Sacramentum, quia tunc genuflectet, & ipſe) ibique omnes genuflexi manent, exceptis Ceroferarijs, & Cantoribus, qui facta genuflexione, ſtatim Chorum lento inceſſu ingrediuntur, & expectant hinc inde Celebrantem

3 Celebrans interim, & alij paululum ante Altare orabunt, deinde ſurgunt, & profundè Altari caput humeroſque inclinant, & ſi adſit Sanctiſſimum Sacramentum, denuò genuflectunt, & Chorum petunt, nullam faciendo amplius Altari reuerentiam.

4 Celebrans cùm peruenerit ad medium Chori ſiſtit ſe medius inter ſuos Miniſtros, & capitis inclinatione cum illis ſalutat Patres ab vtraque parte Chori, prius à parte vbi

eſt

eſt Prælatus, ſi ipſe Prælatus non celebret, deinde ab alia, qui Patres ipſum reſalutare debent caput inclinando. Si verò ſit Prælatus Celebrans, prius ſalutat eos, qui ſunt à parte Chori capitis leui inclinatione, deinde alios ab alia parte, qui omnes profundè illi ſe inclinabunt. quo facto Celebrans aſcendit ad primam ſedem Chori ab ea parte, in qua ea Hebdomada erit Tabella (Chorus,) quæ ſedes ornari debet tapete, & puluino, & ante ipſum debet collocari liber Antiphonarum, ſi adſit, tectus ſerico integumento coloris aliorum paramentorum, vel ſuper cuſſino, vel ſuper legili, quod poſſit amoueri quando opus eſt.

5 Ceroferarij cum Celebrans ad ſedem ſuam aſcenderit, facta debita reuerentia ſine mora deponunt Candelabra, & candelas extinguunt (deponent autem, vel ſuper ſcamnum in Choro, vel ſuper vltimam ſedem, aut quidem ſuper Altare, quod eſt in parte interiori Chori, aut tandem ſupra Credentiam, in qua tamen non erunt cerei extinguendi in ſolemnioribus feſtis) & hoc laudabiliter obſeruandum erit à Ceroferarijs, quandocunque non celebrentur Veſperæ extra Chorum, quoniam eo caſu obſeruabitur, quod infra dicetur iuxta *Carem. Epiſc.* ita etiam *praxis Carem. l.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 9. *num.* 11.

6 Si adhuc pulſetur organum, Celebrans ſedebit, & alij parati ſtabunt ante ipſum in plano Chori; Si verò ceſſauerit organum, dicit *Pater noſter*, & *Aue Maria*, quibus finitis incipit, *Deus in adiutorium meum intende*, interim Cæremoniario, vel alio proximiori parato illi eleuante partem dexteram anteriorem Pluuialis, & ipſe Celebrans ſe ſignat ſigno Crucis, ita moroſè, vt finiat verba, & Crucis ſignum vnà ſimul.

7 Expleto *Gloria Patri*, primus, & maior, ex paratis Pluuiale habentibus, ducente Cæremoniario (ſi adſit) accedit ad Celebrantem, & facit illi profundam reuerentiam, finitaque *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, &c. ſtans præintonat illi primam Antiphonam, qua repetita ab ipſo, recedit cum

Cære-

Cæremoniario (facta prius Celebranti, & Altari reuerentia) ad proprium locum. Cantata Antiphona, duo illi Cantores cottis induti, ex ſuis inferioribus locis in medium exeũtes, & ſe ſibi inuicem iungentes cum debitis reuerentijs prius & poſtea; prius quidem Celebranti, & Altari; poſtea verò Altari, ſibi inuicem, & Celebranti, in medio Chori intonant Pſalmum; quo intonato omnes ſedent capite cooperto, quod detegunt, & profundè inclinant ad *Gloria Patri* vſque ad Verſiculum, *Sicut erat*, &c. & ſimiliter quoties erit inclinandum; & detegit illud quoque Celebrans etiam ad ea verba, *Sit nomen Domini benedictum*, in Pſalmo. *Laudate pueri Dominum*, &c. vt infra. Celebrans ſedet in propria ſede, alij parati in plano Chori ſuper ſedilia rotunda, Romano more confecta abſque reclinatorijs, & alij Fratres in proprijs ſedibus, vbi manent ſedẽtes vſq. ad Capitulũ, niſi quatenus pro intonatione Antiphonarum ſurgunt, vt infra.

8 Abſoluto Pſalmo, ſi non pulſetur Organum, Vicarius, vel alius deputatus intonabit Antiphonam, & Chorus proſequetur vſque ad finem; ſi pulſetur, duo illi Cantores ex ſuis ſedibus, vt ſupra, exeuntes, illam legent alta, & intelligibili voce, qua perlecta, accedunt ad digniorem Patrem, & alter ex eis cum debita reuerentia illi præintonat Antiphonam. (quod ſeruabitur in diſtributione aliarum Antiphonarum, quæ ſemper ab eiſdem, & ab vtraque Chori parte per ordinem incipiendo à dignioribus, alternatim præintonantur, excepto quando ſunt dies minus ſolemnes, vt dies Dominicus, & Duplicia per annum, quia tunc ab inferioribus, ſeruato inter illos debito ordine, dicuntur.) Cum verò ille ſurgit ad illam dicendam, ſurgunt omnes ad Antiphonas integras, & initia Pſalmorum, ad librum oculos intendentes, ne Chorus debitis vocibus deſtituatur. Poterunt tamen ſedere, vbi liber Antiphonarum non longius diſtet, & ſit in proſpectu, & quando Antiphonæ ſunt communiores, quæ memoriter etiam abſque diſſonantia cantari poſſint.



Digitized by Google

9 Celebrans tamen nunquam ſurget, neque alij parati, niſi aliquis illorum ſurgeret, vt aliquid ſpectans ad proprium munus ageret.

10 Circa finem quarti Pſalmi Thuriferarius cum debitis reuerentijs exibit à Choro ad parandum ignem in Thuribulo, & initio Hymni præſto aderit in Choro cum Thuribulo, & Nauicula, non impoſito thure in Thuribulum, & ſiſtet ſe à parte dextera Chori, id eſt iuxta cornu Euangelij, ibique agitabit Thuribulum.

11 Finitis Pſalmis, Ceroferarij cum candelabris ſuo tempore parua aliqua candela ab altero eorum accenſis, (qui poſtea aſſiſtent faciebus ad inuicem verſis, & cum æquali diſtantia) necnō qui parati ſunt Pluuialibus, accedūt ad Celebrantem cum debitis reuerentiis. Cæremoniarius autem ſtabit tunc à dextris illius Ceroferarij, qui eſt quaſi à dextris Celebrantis. qui dicta vltima Antiphona ſurgit, & detecto capite, iunctiſque manibus cantat Capitulum, cui maior ex paratis Miniſtris, vt ſupra, præintonat initium Hymni, eo modo prorſus, quo præintonauerat primam Antiphonam, quem Hymnum ipſe cantat, & ſic vſque ad finem iunctis manibus ſtat, parati verò intonato Hymno, recedunt ad loca ſua & Ceroferarij facta cum Cæremoniario, vt prius, reuerentia Celebranti, recedunt, & candelabra deponunt vbi prius, non ea extinguentes, & ſiſtunt ſe in medio Chori facie verſa ad inuicem, vbi expectant Celebrantem iturum ad incenſandum Altare. Si initium Hymni contineat inuocationem Chriſti, vel Dei, Celebrans eleuat, & iungit manus, & caput verſus Altare inclinat. parati verò ſtant manibus iunctis vſque ad finem Hymni. Cæremoniarius remanet prope primum paratum.

12 Si ad Hymnum genuflectendum ſit, omnes ſuis locis genuflectunt, exceptis Ceroferarijs, qui candelabra æqualiter tenentes, nihil ſe mouebunt (vt dictum eſt ſupra de Euangelio in Miſſa ſolemni) ſed immobiles permanebunt, perinde ac ſi ipſimet duo eſſent Candelabra marmorea.

13 Poſt

Digitized by Google

13 Poſt prædictum Hymnum, cantatur Verſus à duobus primis Miniſtris, videlicet Aſſiſtentibus, vt *ex Cærem. Can. Reg.* fortaſsè propter præintonationem Antiphonæ ad *Magnificat*, Pluuialibus paratis in medio Chori, quorum maior cum debitis reuerentijs Celebranti præintonat Antiphonam ad *Magnificat*, qua per Celebrantem repetita, ſedet ipſe, & omnes pariter ſedent.

14 Intonato Cantico, quod à prædictis duobus paratis intonatur, omnes ſurgunt, & Celebrans facto ſibi ſigno Crucis, factaque ad vtramque Chori partem honoris ſignificatione, Miniſtris ei quaſi obuiantibus, deſcendet à ſede ſua ad medium Chori, ac Ceroferarijs cum candelabris pariter accenſis, & Thuriferario, poſt reuerentiam Celebranti factam, paululum præeuntibus, vadit capite tecto ad Altare cum eiſdem omnibus per latus Euangelij, eo ordine, quo venerant. vbi aduertendum eſt quod quandocunque inter eundum, ob loci anguſtiam, tres illi vltimi pariter ire nequeant præibunt Miniſtri, vltimò Celebrans ſequetur ſolus, & quando neque duo ſimul ire poſſunt, præcedit qui minor eſt duorum, quod in omnibus eſt obſeruandum.

15 Celebrans interim facta Altari debita reuerentia, aſcendit cum duobus paratis ad medium eius, oſculatur illud in medio, & mox conuertens ſe aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ, miniſtrante Nauiculam altero ex paratis, & Thuribulum Thuriferario, imponit thus, benedicit, & incenſat Altare, eo prorſus modo, qui præſcribitur in principio Miſſæ, *in Rubr. Miſſ.* nihil dicens.

16 Et duo parati, qui cum eo aſcenderunt, eleuabunt Celebranti fimbrias Pluuialis, & ſemper genuflectunt, quando Celebrans inclinat ante Crucem, etſi non adſit Sanctiſſimum Sacramentum. Cæteri verò nihil ſe mouent, ſed cum incenſat Sacramentum ſolum, manent cum eo genuflexi.

17 Si aliud Altare eſt incenſandum, præcedunt Ceroferarij, & alij parati, vt initio Veſperarum, & Celebrans omnia facit, quæ in incenſatione primi Altaris fecit, excepto quod

non imponit rurſus incenſum in Thuribulum.

18 Quod ſi Sanctiſſimum Sacramentũ aſſeruetur in aliqua Capella ab Altari maiori ſeparata, accedet ad eam, & ibi thurificabit illud tantum, facta prius genuflexione, triplici ductu, poſt thurificationem primi Altaris, & iterum facta genuflexione recedit. ita habent alia Cærem.Reg.quod obſeruari poterit, vbi ea ſit conſuetudo, & maximè per totam Octauam Sanctiſſimi Sacramenti: non enim neceſſarium eſt, cum verum ſit quod Crux ſola non tabernaculum incenſetur. non alia igitur videtur Altaris incenſatio facienda, niſi ratione Feſtiuitatis alicuius Capellæ, quo etiam in caſu, ſi Miſſa, ſeu Veſperæ apud eam extra Chorum cantentur, non eſt, cur ad Altare maius accedatur, neque prius, neque poſtea, vt illud thurificetur. cum Altare illud Feſtiuitatis, vbi Officium tunc celebratur à Choro Fratrum, Altare maius repræſentet.

## *De Incenſatione Chori ad Veſperas ſolemnes, & de Completorio. Cap. II.*

INcenſatione igitur Altaris, ſeu Altarium peracta, prædicti cum debitis reuerentijs Altari, & poſtea Choro, & à Celebrante quoque vtrique parti inclinatione capitis gratia honoris facta, reuertuntur ad Chorum per latus Epiſtolæ, & quiſque ad loca ſua, remanente in plano digniori parato, & Ceroferarij candelabra deponunt ſtatim ac Celebrantem ad ſuam ſedem reduxerint. Celebrans autem ſtans apud ſedem ſuam, inuitanſque illum, qui poſt ſe immediatè incenſari debet ad incẽſationem, cum capitis inclinatione (quod præſtabunt & alij Patres, ac Sacerdotes tantũ in Prouincijs, in quibus ſolent ijdem ſingillatim incenſari, inuitantes proximiorem poſt ſe incẽſandum eodẽ modo) à ſupradicto parato, qui accepit Thuribulũ ſine oſculis à Thuriferario fimbriã Pluuialis, ad eius dexterã tenente, (abſque eo quod nouũ thus imponatur, ſed eodẽ thure adhibito, quod fuit à Celebrãte benedictum)

nedictum)incenſatur triplici ductu cũ profunda capitis inclinatione ante,& poſt,cui etiã Celebrans modicum reſpondet. ipſo autem incenſato, idem paratus incenſabit cum ijſdẽ reuerẽtijs,& cum eodem Thuriferario triplici ductu Prælatum, ſi aderit;ſi abeſt reddit thuribulũ Thuriferario,à quo ipſe ſtatim à dextris Celebrãtis aſſiſtẽs,& alter à ſiniſtris duplici ductu immediatè incẽſantur. *Prax.Cær.lib.*1.*ſect.*7.*c.*9.*n.*4.

2 Incẽſatis omnibus Miniſtris paratis,hoc eſt Aſſiſtẽtibus, & Cantoribus, Thuriferarius incenſabit Chorũ, vel in communi tranſeundo ante ſedilia: vel ſingillatim Patres,& alios ſuo ordine,qua in re ſeruari poterit laudabilis,& antiqua cõſuetudo Prouinciarum. Sed & in Conuentibus principalioribus,& in quibus eſt conſuetudo in ſolemnioribus Feſtiuitatibus,adhiberi poterint duo Thuriferarij cum Thuribulis,qui Chorum incenſantes,incẽnſabunt ſuo quiſque Thuribulo ſuã partem eiuſdem,ac vltimò populum. Illud tamen notandum præcipuè, nè tunc,aut aliàs etiam in Miſſis,Altare,aut Celebrans duobus Thuribulis incenſetur,ſed vnico Thuribulo tãtum. Duobus enim Thuribulis ſolummodo Venerab. Sacramentum incenſari debet,atque id in Proceſſionibus dumtaxat, vt ſuo loco dictum fuit.

3 Si Pater Reuerendiſſimus Generalis adeſſet, poſt Celebrãtem, (qui duplici tantum ductu tunc incenſatur. *Gauant. part*2.*tit.*7.*ex Cærem.Epiſc. l.*1.*c.*20.) triplici ductu incenſabitur ab ipſo maiori parato: alij verò Prælati Ord. per Thuriferarium duplici. Si Prouincialis adeſſet, abſente P. Generali, in ſua Prouincia triplici ductu thurificabitur, & Guardianus duplici.

4 Si adeſſet Viſitator Generalis in actu Viſitationis,abſente Generali, triplici ductu incenſabitur: Guardianus autem duplici: ſi coram Generali, duplici, & per Thuriferarium.

5 Si in Choro adeſſet Cardinalis Legatus, vel Epiſcopus in proprijs iuriſdictionibus, ipſi benedicent incenſum, non Celebrans, & primi thurificabuntur poſt Celebrantem,

qui

qui in tali caſu ſolum duplici ductu Thuribuli incenſabitur, & Legatus, vel Epiſcopus triplici, cum profundis reuerentijs.

6 Si verò adeſſent Epiſcopi exteri, vel alij Prælati, honoris gratia ſemper thurificetur immediatè poſt Celebrantem triplici ductu, ſicuti & triplici ductu incenſabitur ipſe Celebrans.

7 Quoad Principes, Magiſtratus, & Dominos ſæculares; ad tollendam omnem ambiguitatem, ſeruetur conſuetudo, quæ diuerſa eſſe ſolet, ſecundum locorum diuerſitatem.

8 Dum fit incenſatio, omnes omnino ſtare debent vſque finem incenſationis, & ſi quis ſederet aliqua neceſſitate coactus, ſurgat ad accipiendum incenſationis honorem, alias Thuriferatius pertranſibit, ipſo prætermiſſo, ſolius enim Summi Pontificis eſt prærogatiua, vt ſedens thurificetur. idem dicatur de genuflexis; debent enim & ipſi ſurgere. *Cærem. lib.* 1. *cap.* 23. Aduertatur autem, quod ſi ijs, qui thurificat ſit æqualis dignitatis cum eo, qui thurificatur, aut etiam maioris, reuerentias ſibi inuicem in incenſatione faciant, ante, & poſt capitis inclinatione: ſin autem minor ſit, qui thurificat, ipſe quidem verſus maiores caput inclinet profundè, illi autem parùm, vel etiam nihil verſus thurificantem, pro qualitate ipſius inclinabunt, qui thurificando alios ſibi inferiores, ac minores, parùm, vel nihil pro eorum qualitate inclinabit, Superior autem, ne modicum quidem, ſicut neque Celebrans quicunque, præſertim in Miſſa. & licebit Reuerendiſſ. P. Generali ſignum Crucis verſus thurificantem facere, poſtquam thurificatus fuerit (*vt ex Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 23. notat P. Victorinus Camald. in ſuo Cæremon.)

9 Aduertant Muſici, & Organiſta, vt cantum & ſonum ad inuicem alternatim ita dimetiantur, vt ante repetitionem Antiphonæ ad *Magnificat*, incenſatio ſit expleta, & qui in Choro ſunt maiori cum pauſa Canticum *Magnificat* decantabunt;

cantabunt: dum repetitur Antiphona omnes ſedent.

10 Si contingat aliquando Celebrantem incipere *Dominus vobiſcum*, antequam peracta ſit incenſatio, ceſſat Thuriferarius ab incenſatione.(quod ſeruatur etiam in Miſſa quando Præfatio incipitur) ceſſat enim tunc incenſatio.

11 Ad *Gloria Patri*, Thuriferarius pauſam facit, & caput inclinat, deinde proſequitur.

12 Finita iucenſatione, & repetita Antiphona, Ceroferarij cum candelabris, & candelis accenſis, & parati accedunt ad Celebrantem, qui finita Antiphona, ſurgit cum alijs, & operto capite, Acolythiſque ſtantibus verſa facie ad inuicē, ſtans verſus Altare, iunctiſque manibus cantat *Dominus vobiſcum, Oremus*, & orationem, vel orationes. quibus finitis repetit *Dominus vobiſcum*; & tunc duo parati vltimi, & inferiores in medio Chori, vbi cantauerunt Verſum cantant, *Benedicamus Domino*, & ſtatim redeunt ad Celebrantem, qui ſubmiſſa voce dicit *Fidelium animæ*, &c. Quod ſi fiant Commemorationes, prædicti Ceroferarij nihil ſe mouent, & finita vltima Oratione cum debita reuerentia Celebranti, & Sanctiſſimo Sacramento, recedunt ad eum locum, vbi ſtabant ad Antiphonam poſt *Magnificat*.

13 Si ſequatur Completorium immediatè poſt Veſperas, Celebrans dicto *Fidelium*, &c. factis ad vtrāque Chori partem debitis reuerentijs, & ſalutationibus, diſcedit à Choro, & vadit ad Sacriſtiam ordine quo venerat. Si verò terminandum ſit officium, dicta Antiphona finali ſecundum temporis exigentiam, & *Diuinum auxilium*, &c.

14 Notandum verò: quòd in Feſtis ſolemnioribus, vt in Feſto Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, S. Ioannis Baptiſtæ, SS. Apoſt. Petri, & Pauli, Aſſumptionis B.V. Omnium Sanctorum, Titularis Eccleſiæ, Patroni Ciuitatis, Regni, vel Eccleſiæ Dedicationis; & apud Nos: S.P.N. Franciſci, Immaculatæ Conceptionis B.V. & Patroni Prouinciæ, ſex Pluuialia ſumuntur. In feſtis ſequentibus diem Natiuitatis, Paſcha-

Paſchatis, & Pentecoſtes,& alijs ſolemnibus non ſupranominatis, quatuor tantum erunt parati cum Pluuialibus. In Dominicis per annum, & alijs feſtis duo, qui miniſtrabunt Celebranti. *Cærem. lib. 2. c. 3.* & vbi non fuerit numerus ſufficiens Fratrum, duo ſaltem cottis induti, Celelebranti, vt ſupra aſſiſtent, Antiphonas legent, & Pſalmos intonabunt.

15 Pro Completorio ſolemniter cantando, hęc obſeruentur ex *Cærem. lib. 2. cap. 4.* Organum admitti poteſt. Ad Hebdomodarium ſpectat dicere, *Noctem quietam* &c. *Aditorium noſtrum*, &c. *Pater noſter*, &c. Confeſſionē, & abſolutionē vſq. ad *Deus in adiutorium* incluſiuè, Capitulum, Orationem, & Verſiculum *Benedicat nos omnipotens Deus*, &c. Nulla tamen fit incenſatio ad *Nunc dimittis*.

## *De Veſperis ſolemnioribus, celebrante P. Generali, vel alio Prælato ex Noſtris in inſignioribus Eccleſijs. Cap. III.*

Die Natiuitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Tituli, vel Patroni Eccleſiæ, & huiuſmodi, maiori qua fieri poterit ſolēnitate Veſperas celebrabit Prælatus; Prouincialis quidem vbi fuerit, Guardiani autem communiter, & P. Generalis, quando id ſibi placuerit. His itaque diebus, vbi multus ſit Fratrum numerus, Celebrans cum Miniſtris aſſiſtentibus poterit, ſi ita videbitur, extra Chorum remanere in Capella, & ſuper ſedilibus in cornu Epiſtolæ præparatis ſedere, quorum illud maximè, quod erit pro Celebrante paratum, altius ſit, & nobilius, puluino ſaltem ſuppoſito, & ſtrato aliquo tapete ſuper genuflexorio ante ſe poſito, ſuper quo etiam ponetur liber ſerico integumento coloris cæterorum paramentorum tectus; vel ſuper Legili, quod ponatur ante Celebrantem, & remoueatur quando opus erit, & tunc tapete erit ſternendum ante pe-

des

des ipſius Celebrantis. Parati verò Pluuialibus ſex debent eſſe, vel ad minus quatuor, Thuriferarij duo cum duobus Thuribulis, & Cæremoniarius omnino, vt expeditior fiat incenſatio, licet enim vſus duorum Thuribulorum non reperiatur in Cæremoniali Epiſc. niſi ad Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, ſecundum tamen praxim multarum Eccleſiarum, etiam Cathedralium precipuarum, vt in hoc caſu etiam apud nos admittatur, non videtur incongruum: item Cantores duo cottis induti, & Ceroferarij. Procedent autem omnes de Sacriſtia ad Altare ordine ſuperius præſcripto. Ceroferarij poſtquam Celebrãtem ante Altare expectauerint, hinc inde facta genuflexione, ſtatim cum duobus illis Cantoribus cottas habẽtibus recedent ad latera Altaris, vbi deponunt candelabra cum cereis extinctis, ſuper gradum Altaris lateralẽ, vel in plano Capellæ, vel poſſunt etiam, vt dictum fuit, laudabiliter poni ſupra Credentiam, ita tamen, vt eo caſu in feſtis huiuſmodi ſolemnioribus candelæ non extinguantur. ita *Prax. Cæremon. lib. 1. ſect. 4. cap. 9. numer. 11.*

2 Antiphonæ verò erunt à Cantoribus in medio Chori præintonandæ dignioribus per ordinem, ac dum pulſantur Organa repetendæ, vt ſupra, & Pſalmi etiam intonandi, quando opportuerit. Similiter, & prima Antiphona præintonabitur Celebranti à maiore parato Aſſiſtente, vt in alijs Veſperis ſolemnibus; Item, & initium Hymni, ſub cuius finem, duo ex ijſdem paratis, Maiores ſcilicet, vt ſupra accedentes ad medium ante Altare cum debita reuerentia æqualiter diſtantes, cantant ſimul Verſum, voce altiori, quibus Chorus reſpondet; Alter verò ex ijs rediens ante Celebrantem cum debita reuerentia præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per Celebrantem repetita, denuo redit ante Altare, & finita in Choro Antiphona, illi duo parati, qui Verſum cantauerunt, intonant Canticum *Magnificat*, & deinde factis debitis reuerentijs Altari ad Celebrantem vadunt quaſi obuiam.

ſi *Magnificat* intonetur à Muſicis,tunc ſtatim cãtato Verſu, ad Celebrantem redibunt.

3 Erit igitur pro Antiphonis intonandis à Celebrante, liber Choralis Antiphonarum ibi paratus, ex quo libro Antiphonæ ab eodem,& Capitulum,& Oratio decantentur; Liber autem, (ſi non fuerit ibi Legile) à duobus primis aſſiſtentibus ante Celebrantem apertus tenebitur, à Cæremoniario porrectus, & primus eorum folia voluet, & locum oſtendet; Cæremoniarius autem, vel alius Acolythus inſtrumentum, quod Bugia dicitur, ante Celebrantem, dum Capitulum cantat, & Orationem tenebit.

4 Inchoato Cantico *Magnificat*, ſurgentibus omnibus, vt ſupra (quoniam breuis eſt via) capite Miniſtrorum detecto, & ſine Ceroferarijs (qui prope Credentiam remanebunt) aſcendet Celebrans ad incenſandum Altare, at ſi facienda ſit incenſatio ad aliud Altare, tunc præcedent Ceroferarij, & alij, vt initio Veſperarum.

5 Incenſato Altari, ſi non fuerit in Choro alius Prælatus Celebrante maior, poſt ipſum thurificatum à primo parato, pariter omnes alij Pluuialibus parati immediatè thurificabuntur à primo Thuriferario, cui ille primus paratus Thuribulum reddidit; quo facto Thuriferarij ambo ad Chorum ibunt, & ab eis incenſatio fiet modo ſuperiùs tradito, & vnà ſimul ab vtraque parte hinc inde; quorum alter, ſi prior incenſationem finierit, alterum expectet; & ambo debitis factis reuerentijs,æque vnà ſimul egredietur ad planum Capellæ, vbi reliquos cottis paratos, per ordinem incenſabunt,& tandem populum coniunctim. Peractis ſimul ante, & poſt incenſationem reuerentijs debitis.

6 Quod ſi in Choro fuerit Prælatus aliquis Celebrante maior, putà P. Generalis, aut Prouincialis, Cæremoniarius poſt dictum Celebrantem ter incenſatum thuriferario præcedente, in Chorum ducet paratum illum primum Aſſiſtentem, qui Celebrantem incenſauit; is autem accepto Thuribulo ſine oſculis ab eodem Thuriferario,ter incenſabit de-

more

more Prælatum cum debita reuerentia ante, & poſt, ſtatimque reddito Thuribulo, præcedente eodem Cæremoniario à ſiniſtris habente Thuriferarium, extra Chorum ad locum debitum reuertetur, & ibi ſtans in loco ſuo incenſabitur ab eodem Thuriferario bis, qui deinceps aſſiſtentem à ſiniſtris ſimili modo bis, & reliquos paratos Pluuialibus thurificabit, quo facto, ad Chorum ibunt ambo Thuriferarij, & peractis debitis reuerentijs, omnes de Choro incenſabunt ab vtraque parte, vt paulo ſuperiùs adnotatum fuit. & vltimò Populum.

## *De Matutino ſolemni.* Cap. IV.

DIes, quibus ſolemniter Matutinum celebratur, ſunt ex *Cærem.lib.2.* Dies Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti; Epiphaniæ, Paſchatis Reſurrectionis, Aſcenſionis; Pentecoſtes; Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ, Sancti Titularis Eccleſiæ, & in tota Religione Feſta S. P. Franciſci, & Immaculatæ Conceptionis B. M. V. & Patroni Prouinciæ. alijs verò feſtiuis diebus locorum conſuetudo ſeruetur. quibus diebus Prælati ipſi, niſi vrgenti impediantur cauſa, celebrabunt. ipſis verò officium facere nolentibus, celebrabit aliquis ex principalioribus, & inſignioribus Patribus qui ibi commorentur. ordo autem huiuſmodi officij perſoluendi erit, vt ſequitur.

2 Congregatis in Choro omnibus Fratribus, Prælatus, ſiue alius Pater, qui officium faciet, ſtans in loco Hebdomadarij, Matutinum incipiet in proprio habitu abſque alio paratu. *Cær.Epiſc.lib.2. cap.6.* Cantabunt duo ex iunioribus, vel duo alij, Inuitatorium. Interim omnes ſtabunt vſq. ad primum verſiculum primi Pſalmi nocturni. cum cantatur, & *Procidamus ante Deum*, tam ipſi Cantores, & Celebrans, quàm alij omnes genuflectunt, poſtea ſurgunt, & proſequuntur,

tur, *ploremus coram Domino*, *qui fecit nos*. Repetito Inuitatorio, duo illi Cantores accedunt ad Celebrantem, & ſtantes in plano ante ipſum, facta ei profunda reuerentia; vnus ex illis à dextris præintonat prædicto Celebranti Hymnum, quo per Celebrantem intonato, Chorus proſequitur ab eadem parte, vbi eſt Sacerdos officium faciens, deinde viciſſim ex alia parte, donec Hymnus expleatur, in cuius fine, cum nominatur Sanctiſſima Trinitas, omnes profundè inclinant. expleto Hymno, idē Cantor, qui præintonauerat Hymnum, ſtans ante Celebrantem, & facta ei profunda reuerentia, præintonat illi primam Antiphonam primi Nocturni, quam ille intonat ex libro ante ſe, vel in Legili poſito, qua intonata, duo illi Cantores, facta reuerentia, accedūt ad librū Antiphonarū in medio Chori exiſtentē, & facta prius in plano genuflexione verſus Altare, expletâ Antiphona, incipiunt Pſalmos primi Nocturni, cantantes primum Verſum in tono conuenienti, Cantores quoque facta genuflexione, ad proprium locum recedunt, hic erit autem (ſi poſſibile fuerit) ante Celebrantem faciebus ad Altare verſis. ad finem Pſalmi cuiuſque cantati, Antiphonam (ſi Organum pulſetur) clara, & ſonora voce legent, ſin minus ab ipſo Vicario, vel alio ad id deputato intonabitur, Choro proſequente, donec expleatur. Interim accedunt duo illi Cantores ad digniorem Patrem, ſeruato ordine in Veſperis præſcripto, & attenta feſti, & Celebrantis qualitate, & alter ex eis, facta illi debita reuerentia, præintonabit ei ſecundam Antiphonam, & ſic viciſſim ſemper faciunt ſucceſſiue ſingulis Patribus Antiphonam præintonantes, & ſemper poſt inchoatum Pſalmum, ad proprium locum redeunt.

3 Circa finem tertij Pſalmi cuiuſcunque Nocturni accedunt ad librum, & factis debitis reuerentijs Altari, & Choro, cantant Verſiculum. quo incepto, & reſponſo à Choro, Celebrans intonat clara voce *Pater noſter*, quod ſemper fit quoties dicendum eſt clara voce, *Et ne nos inducas in tentationem*, quod ſeruatur, & in *Credo* ad Completorium,

&

& ad Primam ex *Rubrica Breuiarij tit.* 32. *num.* 2. & *tit.* 33. *nu.* 2. & reliquum dicet ſecretò. interim dum cantatur Verſiculus, Cæremoniarius, ſiue Vicarius, ipſo abſente, accedit ad fratrem aliquem ex iunioribus, ( à iunioribus enim ſemper incipitur) iuxta Feſti, & Celebrantis qualitatem, vt ſupra, qui lecturus eſt primam lectionem, & facta ei reuerentia, ipſum ducit ad Legile, quod locari debet in medio Chori verſus Altare, quo cùm peruenerit, genuflectit cum Cæremoniario, vel Vicario verſus Altare, deinde facit profundè reuerentiam Patribus, primùm à parte Chori, deinde ab altera parte, & mox propiùs accedit ad Legile, & cum tempus erit petit benedictionem caput profundè verſus Celebrantem inclinans, cui ille ſtans benedicit ( quod, & in alijs benedictionibus ſeruat, hoc eſt, vt ſtans ſemper detecto capite benedicat ) ſi non fuerit Prælatus: qui ad primam tantum, quartam, & ſeptimam lectionem, tali modo benediceret; legant autem, qui legent, diſtinctè, & deuotè in tono conſueto, & ſi noctu legantur, Cæremoniarius, ſiue alius adhibet paruam candelam; lector autem, cum dicit *Tu autem Domine*, genuflectit, & factis debitis reuerentijs diſcedit.

4 Circa finem tertij Nocturni, Prælatus, ſiue alius Pater faciens officium accipit Pluuiale coloris tempori congruentis ſuper cottam, & amictum, ( non enim eſt neceſſarium vti Stola, ſed tantum permittitur vbi eſt conſuetudo, quod habeatur in Veſperis, & Laudibus ) & duo Cantores ſimiliter induunt ſe Pluuialibus, vel ſaltem cottis vbi non ſuppetunt Pluuialia, & duo Ceroferarij cum candelis accenſis, quæ omnia parabit Sacriſta antequam incipiatur Matutinum in Choro, vt præſto ſint.

5 Ceroferarij accedunt ad Celebrantem cum candelabris, & candelis accenſis, à quo non diſcedunt niſi expleta lectione, quam leget Hebdomadarius in proprio loco, & intonato Hymno *Te Deum laudamus*, quem Hymnum alter ex dictis Cantoribus Pluuiali paratis, facta illi debita

reueren-

reuerentia, præintonat cùm ditur *Te ergo*, &c. Celebrans in proprio loco, & alij omnes genuflectunt.

6 Si Prælatus officium faciat, dum legit nonam lectionem ſtant omnes alij, qui ſunt in Choro. *Cærem. lib. 2. cap.* 5. Quod etiam videtur Celebrantem paratum decere.

7 Ad textum Euangelij, non adhibetur ſignum Crucis, neque legitur manibus iunctis, ſed hinc inde ſuper Legile poſitis, ſeu ſupra librum.

8 Qui lectionem legit, non incipit priuſquam omnes ſedeant.

9 Celebrans, quicunque ille ſit inferior Epiſcopo, qui legit, dicit *Iube Domne*. non *Domine*, & ſecundus in Choro, ſi ſi maior Celebrante abſit, profert verba benedictionis; Excepto Generali apud nos, & Prouinciali in ſua Prouincia, quod nequaquam dedecet. *vt Caſtal. in ſua prax. Cær.* & hæc dicta ſint de Matutinis.

10 In Laudibus ſolemnius decantandis omnia obſeruabuntur, quæ de Veſperis ſolemnioribus præſcripta fuerunt.

11 Notandum tamen illud erit in principio Matutini ſolemnis; quod licet Cærem. Epiſc. dicat, Canonicum incipere Matutinum in proprio habitu: in Choro tamen ex frequentiori vſu Eccleſiarum noſtrarum poterit Celebrans Pluuiali paratus cum duobus, aut pluribus Aſſiſtentibus cum Acolythis, Cæremoniario, Cantoribus, & Ceroferarijs, vt in Veſperis è Sacriſtia procedere, præcipuè in ſolemnioribus feſtis, & in Nocte Natalis Domini cum Diacono, & Subdiacono in Alba, & cum Pluuiali: qui tamen nullo modo Cantoris munus exercebunt. Poſſunt etiam Pluuialia deponi, vt eſt de more, in Matutinis, & ea ad Lectionem nonam reſumere. reliqua verò, vt ſupra.

De

## *De Prima cum Martyrologio.*
## *Cap. V.*

AD primam, Martyrologium debet ſemper poſt Orationem, *Domine Deus*, legi, pro cuius lectione, illud præcipuè obſeruetur, quod primo loco pronuncietur Sanctus ille regulariter, de quo fit officium ſequenti die, etiam ſi non ſit in Martyrologio, ſi à maioribus ritè ſit decretum officium: Alij Sancti, de quibus non fit officium, & de quorum ſanctitate nullum eſt dubium, nominari poſſunt ſuis locis Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, & ſic de alijs.

2 Tranſlato feſto alicuius Sancti, iuxta rubricas *de translatione Feſtorum*, non fit tranſlatio de eodem in lectione Martyrologij, niſi in caſibus in Martyrologio expreſſis.

3 Legenda ſunt quoque primo loco nomina Sanctorum, quos nuper addiderunt Summi Pontifices Breuiario Romano, etiam eorum, quorum officium eſt ad libitum, ſi illud recitetur.

4 Feſta Domini mobilia, primo loco poſt Lunæ pronunciationem annuncianda ſunt, excepto Paſchate, quod antequam legantur Kalendæ annunciatur, & ratio patet, quia in ipſo die Paſchatis annunciatur; Kalendæ verò pertinent ad ſequentem diem.

5 Pridie Natiuitatis Domini Martyrologium ſolemnius cantatur, ſed quia diuerſarum Regionum diuerſa eſt conſuetudo, illa ſeruetur, hoc ſolùm ab omnibus obſeruari debet, vt audientes ſtent, vſque ad illa verba: *In Bethleem Iuda*, &c. quibus auditis, ſtatim genuflectant vſque ad ea: *Natiuitas Domini noſtri*, &c. *ſecundum carnem* incluſiuè. quibus expletis, ſurgunt omnes, & ſedent de more.

De

## *De Antiphonis finalibus Beatæ Mariæ Virginis.* Cap. VI.

POſt finem officij ſemper dicitur vna ex Antiphonis B. M. V. quæ poſitæ ſunt in fine Pſalterij, iuxta temporum exigentiam, circa quarum recitationem hæc adnotentur.

2 Si transferatur officium Purificationis, non dimittitur Antiphona *Alma Redemptoris*, niſi in fine illius officij: imò ſi alicubi Purificatio Octauam habeat, adhuc Antiphona hæc dicenda erit vſque ad Completorium diei Octauæ excluſiuè. Sacra Rituum Congregatio 1616. Illud verbum excluſiuè, quod ponitur in Rubrica ante *Aue Regina Cælorum*, attinet ſolum ad feriam quintam in Cœna Domini cui proximè adhæret, quare ſemper dicenda eſt in fine Completorij diei Purificationis.

3 Quamuis Rubrica Breuiarij habeat has Antiphonas, ſemper dici debere quoties, terminato diuino officio, diſcedendum eſt à Choro, debent etiam dici ſi non fiat à Choro diſceſſus ob orationem mentalem, quia hæc non impedit. Quando verò finita Miſſa, diſcedendum eſt à Choro, licet nulla alia hora ſequatur, hę Antiphonę ommittuntur.

## *De Ritibus obſeruandis in recitatione Horarum canonicarum ſine ſolemnitate in Choro.* Cap. VII.

RItus, qui obſeruari debent, dum diuinæ laudes in Choro Deo perſoluuntur, peti debent tum ex Rubricis Breuiarij, tum ex Cærem. Epiſc.

2 In Rubrica Breuiarij, quatuor adnotantur, quæ ad rem faciunt:

faciunt: Primum, quod Hebdomadarius initio Matutini, clara voce dicat *Domine labia mea aperies,tit.*13.*num.*1. Alterum, quod in precibus ferialibus ad Matutinum, & Veſperas, dicat clara voce totum *Pater noſter,tit.*32.*num.*2. Tertium, quod idem dicat eaſdem preces flexis genibus vſque ad *Benedicamus Domino,tit.*34.*n.*4. Quartum, quod idem ſurgat ad Orationem, quæ dicitur poſt Antiphonam B. M. V. in fine Officij, *tit.*36.*num.* 3 Hæc in Breuiario, quæ obſeruari debent.

3 Præter hæc, alia ex Cærem. Epiſc. obſeruanda erunt, quæ ſequuntur: ſi contingat recitare diuinum Officium coram Sanctiſſimo Sacramento expoſito, omnes Fratres ſtare debent capite aperto ad omnes horas. *lib.*2.*cap.*33. vel ſi ſedeant, vt accidere poteſt in Matutino, quod cæteris horis prolixius eſt, caput nunquam cooperiant.

4 Simili modo ad initia Horarum, ad Inuitatorium, Hymnos, Capitula, Reſponſoria breuia, Verſus, Benedictiones ante Lectiones ab Hebdomadario, ad Textum Euangelij ante Homiliam, Cantica Euangelica, Orationes, Commemorationes, & ſuffragia communia Sanctorum, Antiphonas finales B. M. V: toto tempore Paſchali, & Dominicis diebus, incipiendo à primis Veſperis ſtatur: ad Verſ. & Reſponſoria, quæ in Euangelio lecta genuflexionem poſtulant, vt *Verbum caro factum eſt*, & *Procidentes*, &c. non genuflectitur, & iuxta *Gauant.* (*vt in par.*4.*huius Cærem.c.*11.*num.*1.) ſtandum erit; ſed certè ad huiuſmodi verba debet genuflecti in proprio textu tantum: ſic ad *Expirauit*, *Emiſit Spiritum*, ſolum cum legitur in maiori Hebdomada. Ad Symbolum Sancti Athanaſij, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, 23. *Decembris* 1624. ſtandum erit. ſi vnus legat tantum vnam Lectionem ſemper in fine; ſi autem tres legat, ſolum in fine vltimæ, cum dicturus eſt, *Tu autem Domine*, genuflectit. Ad Pſalmos omnes, Lectiones, & Martyrologium ſedetur. Ad Lectiones quoque Officij parui B.V. in Aduentu ſtabitur.

5 Ad ea omnia, ad quæ infra dicetur, Capite nono, eſſe genuflectendum, à Lectoribus etiam genuflectitur. *Cæremon. Epiſ. lib. 2. cap. 6.*

6 Item præter ea omnia, quæ inf. in dicto cap. 9. dicetur nu. 3. ad nomen quoque Papæ viuentis caput inclinatur: quemadmodum etiam, & ad Verſiculos, *Sit nomen Domini benedictum: Sanctum, & terribile nomen eius: Benedictus Dominus die quotidie:* ad Verſus, *Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum: Benedicamus Patrem, & Benedictus es Domine in firmamento cæli.* ex pia Religionis conſuetudine.

7 Inſuper præter ea, quæ dicentur cap. ſupradicto num. 4. ad Cantica Euangelica adhibetur ſignum Crucis: quamuis enim *Cærem. lib. 2. cap. 1.* meminerit tantum huiuſmodi ſigni ad *Magnificat*, cum Celebrans à Choro diſcedit, eadem tamen eſt ratio de alijs huiuſmodi Canticis, quia ſunt Euangelica. *Gauant. tom. 2 ſect. 10. cap. 2. num. 10.*

9 Lectiones primas ſemper Iuniores legent, reliquas verò Seniores, & magis digni. *Cærem. lib. 2. cap. 6.*

## *De Cantoribus pro diebus feſtis, & minus ſolemnibus. Cap. VIII.*

APud Noſtros eſt in more poſitum, vt duo iuniores, diebus, quibus non parantur Hebdomadarius, & alij Cantores, munus canturiæ obeant coniunctim ſtantes in medio Chori ante Legile magnum, quæ conſuetudo erit retinenda. Officium autem eorum eſt intonandi, vel legendi, vel cantandi Inuitatoria, Antiphonas, Pſalmos, Hymnos, Reſponſoria, Cantica, & Verſiculos.

2 Quando officium duplex fuerit, vel ſemiduplex, Inuitatorium in Matutino ambo recitabunt, in quo ad *Venite adoremus, & procidamus*, genuflectent ſimul, non finito tamen ipſo Verſu, quando reſpondet Chorus. Et pariter Hymnum intonabunt. Cum verò officium ſimplex ſit, aut feriale

riale, ab altero tantum, ab eo ſcilicet, qui eſt in latere primi Chori.

3 Antiphonę in Matutinis, quando duplex fuerit officium, ab eiſdem vnà ſimul dicuntur, & repetuntur integrè ante, & poſt Pſalmos, qui etiam ſimul intonantur, atque hoc eodem modo Reſponſoria, Verſus, & Verſiculi.

4 Cum autem Semiduplex fuerit, prima Antiphona, quæ eſt in primo Nocturno à Cantore ſecundo intonabitur in principio tantum ad duo, vel tria verba ad ſummum, & Pſalmus à Cantore, qui eſt in latere primi Chori, vbi ſemper incipere debet Pſalmodia. Poſtea verò in fine Pſalmi tota repetendà eſt Antiphona ab ipſo Cantore, qui eſt in ſecundo Choro, & alter qui eſt in primo Choro Antiphonam ſequentem intonabit, alter vero ſecundi Chori Pſalmum. Atq; hoc modo finito ſecũdo Pſalmo, primus Cantor totam ſuam Antiphonam reſumit, quam intonauerat, & ſecundus Cantor, incipit eam, quæ tertio Pſalmo præcedit, quem ſtatim primus Cantor intonat, & ſic deinceps intonantur, & reſumuntur Antiphonæ, & Pſalmi incipiendo vice verſa in ſecundo Nocturno, itaùt primus Pſalmus in ſecundo Nocturno à Cantore ſecundo, & in tertio Nocturno à primo Cantore inchoetur.

5 In ſimplicibus, & ferijs Inuitatorium, & Hymni à primo Cantore dicuntur, & ab eodem primus Pſalmus intonatur, & poſtea deinceps Pſalmi intonantur ab ea parte, vbi Pſalmus præcedens non finierit. primum Reſponſorium à primo Cantore dicitur, & Verſus à ſecundo, vt in ſemiduplici. atque ita ſecundum Reſponſorium vice verſa, & tertium, vt primum, Verſiculos autem omnes primus Cantor dicit. Illud aduertendo, quod octauum Reſponſorium in ſemiduplici, ab vtroque Cantore ſimul dicitur quemadmodum etiam, & tertium primi, & ſecundi Nocturni. atque ita Nonum, quando dicendum ſit, quod ſemper cantari ſolet, vbi ſit congruus Fratrum numerus. Canticum *Te Deum*, in duplicibus, & ſemiduplicibus ſimul intonatur, & totũ à Choro

cantatur; diebus quidem feſtis in tono conſueto, & proprio, alijs diebus in tono 4. vel 8. Verſus *Per ſingulos dies*, quando *Te Deum* eſt in tono ſuo ordinario, à duobus cantoribus intonatur.

6 Ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam in Duplicibus & Semiduplicibus Antiphona poſt Pſalmos ab eiſdem ſimul repetitur, quæ ſub finem Hymni præintonata fuit Hebdomadario, initia quoque Hymnorum ipſi, & Verſiculos poſt Capitulum coniunctim dicunt cum debitis, & mutuis inclinationibus, qui Verſiculi ante Altare in Choro erunt dicendi, vbi commodè fieri poteſt. In ſimplicibus autem, & ferijs, primus Cantor hæc omnia ſolus faciet.

7 Ad Veſperas dicto *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*. Primam Antiphonam ſtatim commendant Hebdomadario, ad eum è ſuis locis aliquantum accedentes, & ſtatim pro intonatione primi Pſalmi redeunt, quem in Duplicibus, & Semiduplicibus inſimul intonabunt, in reliquis alter eorum tantum, & ſecundus Pſalmus à ſecundo pariter Cantore in feſto Semiduplici, Duplici, & Feriali, Antiphonas diſtribuendo ab vtraque parte ſui Ordinis. Hymnum pari modo ſimul intonabunt in Duplicibus, & Semiduplicibus feſtis, in quibus Celebrans non ſit Pluuiali paratus. In ferijs autem, & ſimplicibus, alter eorum, qui nempè erit in primo Choro, & de Verſu poſt Hymnum, idem eſt obſeruandum. quo apud Altare cantato, alter eorum in reditu verſus Celebrantem inclinatus præintonat illi Antihonam ad *Magnificat*, quod ipſi intonant in loco ſuo, quo cantato vnà cum eius Antiphona, ſi faciendæ ſint aliæ commemorationes, Verſus cantant in loco conſueto, vbi remanent donec altiori voce cantauerint *Benedicamus Domino*, ſi cantentur Veſperæ, alioquin ipſe Hebdomadarius dicet.

8 In Completorio primus Cantor in medium prodiens, de more Lectionum, cantat, vel legit *Iube Domne benedicere*, verſus Celebrantem inclinatus, deinde *Fratres ſobrij eſtote*. & ad *Tu autem Domine*, ſi recedit à medio, genuflectit. Antiphonam

tiphonam *Miſerere*, Hebdomadarius dicit. Pſalmum *Cum inuocarem*, ambo Cantores intonant in Dupl.& Semidupl. reliqua ab vno tantum. ita & Canticum *Nunc dimittis*, Sed Verſ. *Benedicamus Domino*, ab Hebdomadario dicitur. Antiphona tandem finalis B. M. ab eiſdem intonatur, & Verſus poſt eam cãtatur à duobus illis in Dupl.& Semidupl.ſed in ſimpl. & fer. ab vno.

9 In Officio paruo B. M. & Defunctorum omnia dicuntur, vt in feriali Officio. Lectiones recitari ſolent à primo Cantore.

10 In Pſalmis Pœnitentialibus Antiphona, *Ne reminiſcaris*, intonatur ab Hebdomadario, qui in fine legit clara voce Litanias, & preces ſubiungit.

11 In Gradualibus primus Pſalmus incipitur ab Hebdomadario, & deinceps inchoantur ſucceſſiuè ab ea parte, vbi non finierit Pſalmus prçcedens, ordine ſeruato, vt in Nocturnis officij.

12 Ad Cantores prætcrea ſpectat decantare *Gloria Patri*, ad omnes Introitus Miſſarum, ſimul quidem ſi Duplex fuerit, vel Semiduplex; primus verò, ſi fuerit ſimplex, vel feriale officium. itemque cantata Epiſtola, Verſum cantant poſt *Alleluia*, quod intonat Vicarius; ſimiliter, & Verſum, qui ſequitur poſt Tractum.

13 In Miſſis Defunctorum conſuetudo eſt, vt à primo Cantore omnia intonentur, nimirum Introitus, Tractus, vel Sequentia; Offertorium, Sanctus, Agnus Dei, & Poſtcommunio.

14 Aduertant Cantores, vt Chorus perſiſtat in ſuo tono proportionato, non nimis in intonationibus eleuando, aut deprimendo vocem.

De

## *De Ritibus in priuata Canonicarum Horarum recitatione obſeruandis.*
## *Cap. IX.*

AD Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Horarum initia, Inuitatorium, Hymnos, (inter quos numeratur *Te Deum*) Verſus Nocturnorum, & poſt Hymnos, Textum Euangelij ante Homiliam, Capitula, Cantica, *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, Orationes, (excepto triduo maioris Hebdomadæ) Preces, quæ præcedunt Antiphonas B. M. V. toto tempore Paſchali, & in omnibus Dominicis, à primis earum Veſperis, in quarum Antiphonarum initio non eſt genuflectendum, Lectiones in Officio paruo B. M. V. in Aduentu, & ad Pſalmos, ſi libuerit ſtatur, ideſt dum priuatim recitantur Horæ.

2 Ad ea verba Inuitatorij *adoremus, & procidamus, ex Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 6.* Preces feriales in Veſperis, & alijs Horis tempore ieiuniorum, & pœnitentiæ dicato; In Hymnis ad ea verba, *Veni creator Spiritus: Aue Maris Stella: O Crux Aue ſpes vnica: Tantum ergo Sacramentum:* (ſi tamen ſit coram Sacramento) *: Te ergo quæſumus,* in Hymno *Te Deum*, & tandem ad Antiphonas B. M. V. quæ dicuntur in fine officij, (exceptis Dominicis, & tempore Paſchali) & laudabiliter ad illa verba, *O ſalutaris Hoſtia*, genuflectitur.

3 Ad Verſum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, ad nomen *Ieſu*, *Mariæ*, & Sancti de quo Officium recitatur: ad *Confiteor Deo Patri*, quod in Prima, & ante Completorium dicitur, vſque ad *Miſereatur*, &c. incluſiuè ab eo, qui dicit, & cui dicitur reſpectiuè, caput inclinatur profundè.

4 Ad illud *Domine labia mea aperies*, in principio Matutini fit Signum Crucis pollice dextro ſuper os à Celebrante. Item manu extenſa ſignat ſe à fronte ad pectus, & à ſiniſtro hume-

ro

ro vſque ad dexterum: Ad *Deus in adiutorium meum intende*, in principio Horarum. Non autem ad primam poſt *Pretioſa*. Ad *Adiutorium noſtrum* ante confeſſionem in Prima, & Completorio: Ad *Indulgentiam*, & *Dominus nos benedicat* in fine Primæ: Ad *Benedicat*, *& cuſtodiat nos*, in fine Completorij. Ad Antiphonam de Cruce in Officio feriali. Item eodem pollice dexteræ manus in pectore ad *Conuerte nos Deus*, in principio Completorij.

## *De Officio paruo B.M.V. & Officio Defunctorum. Cap. X.*

OFficium paruum B M.V. iuxtà Rubricas Breuiarij, ſemper à Noſtris, vt vſque modo factum eſt, in Choro recitetur, quando officium non eſt duplex, aut ſemiduplex, circa quod nil aliud eſt adnotandum, cum claræ ſint de eo Rubricæ præter id, quod decreuit Sacra Rituum Congregatio, *vt inf. in Decr. eiuſdem*, videlicet, non eſſe addendum tempore Paſchali, Inuitatorio, Antiphonis, & Reſponſorijs, Alleluia, quod obſeruetur omnino.

2 Officium ſimiliter Defunctorum recitari debet iuxta Rubricas Breuiarij, in cuius recitatione hæc quoque obſeruanda erunt.

3 Si quandoque contingat Veſperas Defunctorum, ſiue Matutinum recitari ſeparatim ab horis Canonicis, his diebus quibus recitari debet ad præſcriptum Rubr. ſiue in Choro, ſiue extra, præmittenda eſt Oratio Dominica. *Cæremon. Papal. lib.2. ſeſſ.2. cap.24. & 25.* & *Cæremon. Epiſcop. lib.2. cap.10.*

4 Si contingat, primum diem non impeditum eſſe menſis vltimum diem, adhuc recitari debet Officium Defunctorum, licet in ſequenti die rurſus pro ſequenti menſe dicendum foret.

5 Si toto tempore Aduentus, & Quadrageſimæ contin-

gat

gat omnes ferias ſecundas impediri Feſto nouem Lectionum, Officium Defunctorum ommittitur, nec dicitur ratione menſis.

6 Si contingat Vigilia Natiuitatis in feria ſecunda, quartæ Hebdomadæ Aduentus, ommittitur Officium Defunctorum.

7 Veſperę Defunctorum recitari debent poſt Veſperas feſti, etiam ſi eſſet Duplex, & de præcepto: Matutinum verò poſt Laudes.

8 In die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, quo ad horam recitandi huiuſmodi Defunctorum Officium ſeruetur locorum conſuetudo, quæ tamen quantum fieri poterit ad pręſcriptum Rubricarum reducatur.

9 In Veſperis pro Defunctis nulla prorſus, nec Altaris, nec Chori fit Thurificatio, ſed in Miſſis Defunctorum, ſemel tantum poſt oblata; & tunc oblata, Altare, & Celebrans, & nulli alij thurificantur, & fit benedictio Thuris, vt in alijs Miſſis.

## *De Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus. Cap. XI.*

Pſalmi Graduales dicuntur qualibet feria quarta Quadrageſimæ, includendo etiam feriam quartam Cinerum., & dicuntur ante Officium paruum B. M. V. Pœnitentiales verò feria ſexta, & dicto *Benedicamus Domino*, poſt Laudes.

2 Si adſit alicubi conſuetudo aliqua antiqua, & inueterata recitandi in Choro Pſalmos Pœnitentiales in feria quinta, poſt Completorium in Quadrageſima, & in ferijs tertijs Graduales, Sacra Rituum Congregatio, declarauit eam retineri poſſe, vt in vna Laudenſi reſpondit, 2. *Auguſti* 1603. *Gauantus*.

3 Sede vacante, dum dicuntur ſeptem Pſalmi, Verſic. ille in Litanijs de domno Apoſtolico; vnà cum Verſu poſt

Pſal-

Pſalmum in precibus, *Oremus pro Pontifice noſtro N.* & oratio de eodem omitti debent.

4 Si Litaniæ ſeparatim à Pſalmis Pœnitentialibus dicendę ſint, dicto ad Laudes diei *Benedicamus Domino*, & *Deo gratias;* ſtatim eæ dicuntur, nam *Fidelium animæ*, pro fine Laudum, dicitur in fine Litaniarum, & vtriſque deſeruit.

## *De ritibus particularium ſolemnitatum pro tempore, & primum de Natiuitate Domini.*

## *Cap. XII.*

NOn eſt Inſtituti noſtri, omnia, quæ in Rubrica Cær. & alibi dicuntur de Sacris Ritibus recenſere, ſed ſolum, quæ accidere ſolent, & poſſunt in huiuſmodi ſolemnitatibus, & ita expreſsè, & clarè non habentur in Rubrica in medium afferre, vt Fratres, abiectis ſcrupulis, Deum vniformi, & pia Sacrorum Rituum claritate colant. ideo pauca de ijs, & compendiario quidem addenda videntur, inchoando à Natiuitate Domini.

2 Si Vigilia venerit in Sabbato, loco Pſalmi *Iubilate*, in Nocturno, dicitur Pſalmus *Bonum eſt*, ne ille bis dicatur, ſcilicet ad Matutinum, & ad Laudes, neque hic ommittatur in Officio.

3 Legatur Martyrologium cum maiori ſolemnitate, quàm alias. circa quod obſeruetur, quod dictum eſt, cum de Martyrologio eſſet ſermo.

4 Ad Nonam incluſiuè deſinit Aduentus, & ceſſat Verſiculus, *Angelus Domini*.

5 Hora competenti dicantur Matutina, prout in cap. de Matutinis dictum eſt; hæc tamen in his Matutinis particularius obſeruanda erunt. ex *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 14. videlicet: Vltra luminaria ſolita, præparanda erunt ſex, vel octo, funalia ceræ albæ, vel quot erunt neceſſariæ pro conſuetudine, & diſpoſitione loci, ad illuminandum Chorum, ſi-

ue Preſbyterium, quæ ſuper totidem candelabris ferreis magnis ſpatijs æqualibus inter ſe diſtantibus, collocabuntur. præparabuntur etiam aliquot paruæ candelæ albæ pro Patribus cantaturis Lectiones.

6 Cæremoniarius, quoties ducet aliquem Patrem ante Legile, vbi cantare debet Lectionem, gerat manibus paruam candelam, nec ab ipſo Legili longius diſcedat, donec cuiuſque Nocturni Lectiones recitatæ ſint.

7 Dum Celebrans repetit, & intonat Hymnum, *Chriſte Redemptor omnium*, eleuat, & iungit manus, caput verſus Altare inclinans, ob reuerentiam Dominicæ inuocationis. Quod ſemper facit in ſimili, quando ſcilicet principium Hymni continet inuocationem Dei, Chriſti, & Ieſu.

8 Prælatus, ſiue alius quiuis Celebrans, capiet paramenta in Sacriſtia cum ſuis Miniſtris, quare in Choro parabitur ſolum Pluuiale Celebrantis pro vltima Lectione cantanda, & alia, vt dictum eſt de Matutinis.

9 Ad illa verba, *Et incarnatus eſt*, tam Celebrans, quàm alij, omnes etiam ſi ſedeant, debent genuflectere vſque ad *Crucifixus*, tam in Miſſa noctis, quàm in alijs duabus. Si verò aliqua conſuetudo pia alicubi eſſet, poterit obſeruari.

## *De Feſtis infra Octauam Natiuitatis Domini. Cap. XIII.*

SI aliquod ex tribus Feſtis ſequentibus diem Natiuitatis Domini, quæ ſunt ſecundæ claſſis, fuerit patronus loci, ſiue titulus Eccleſiæ, quamuis fiat primæ claſſis, non mutetur ordo vniuerſalis Eccleſiæ in ſecundis Veſperis Natiuitatis Domini, etiam in Eccleſia propria S. Stephani; quia pari prima claſſe, maius eſt Feſtum Chriſti, quàm S. Stephani, & ideo habet vtraſque Veſperas integras.

2 Inter eadem verò Feſta ſeruentur Rubr. Generales, vt Veſp. primæ, & ſecundæ ſint de digniori Feſto, ideſt, pri-

mæ claſſis, & Patroni, ſiue Titularis cum commemoratione minus digni, & Octauæ Natiuitatis tantum. cuius etiam Antiphonæ ad Veſperas ſemper recitentur.

3 Si Titulus Eccleſiæ (non Altaris maioris) fuerit Innocentium erit conſequenter primæ, claſſis; & eo caſu conceditur Hymnus *Te Deum*, &c. in Officio, & color rubeus cum ſuis conſequentijs in Miſſa.

4 Si tota Octaua Natiuitatis ſit impedita alicubi Feſtis duplicibus, de Dominica infra Octauam fiat commemoratio eo die; quo vniuerſalis Eccleſia de ipſa Officium facit.

## *De Epiphania Domini. Cap. XIV.*

SI Patronus loci incidat in Sabbatum, in quo faciendum eſt officium de Dominica infra Octauam Epiphaniæ incidentis die Dominico, non eſt anticipandum Officium huiuſmodi Dominicæ feria ſexta, quia in Sabbato ſufficit fieri commemorationem de Dominica prima, cum Homilia pro nona Lectione.

2 Quando Epiphania Domini occurrit in Feria 3. accidit in Sabbato ad Veſperas dici pro commemoratione Epiphaniæ Antiphonam *Omnes de Saba venient*, quo caſu mutatur Verſus, ne eadem Antiphona cum Verſu ſit idem, dicitur autem Verſus de Laudibus Epiphaniæ. *Adorate Deum*.

## *De Dominica Paſſionis, & triduo maioris Hebdomadæ. Cap. XV.*

IN hac Dominica cooperiuntur imagines, & toto hoc tempore, nullę pariter Sanctorum Imagines ponuntur ſuper Altare. *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 20.*

2 Ab hac Dominica vſque ad Paſcha, excepta feria quinta in Cœna Domini, Cantores non vtuntur cantu figurato, ſed Gregoriano, qui dicitur firmus.

3 In Matutinis tenebrarum candelæ tam in Altari, quàm in triangulo debent eſſe ex cera communi, non alba. *Cærem.Epiſc.lib.2.c.22.* Candelarumq. triangulare eſt collocandum in cornu Epiſtolæ. *Cærem.Epiſc.* eodem loco.

4 In feria ſexta in Paraſceue Horæ ante Miſſam ſine cereis accenſis dicuntur *Cærem. Epiſc.lib.2.c.25.* In Sabbato idem faciendum eſt ante ignis benedictionem. Item & in horis ante Miſſam feriæ quintæ, & ad Veſperas quaſcunque accendi debent, non ad Completorium, niſi Sabbati Sancti.

## *De Paſchate, vſque ad Feſtum Corporis Chriſti. Cap. XVI.*

TOto hoc tempore nihil particulariter occurrit adnotandum, cum clara ſint omnia in Rubrica Miſſalis, & Breuiarij, excepto, quod qui non interſunt Proceſſionibus Litaniarum maiorum, & minorum, debent priuatim ſub pœna pecc. mort. illas dicere, ex *Suar.lib.4.de Hor.Can.cap.25. num.8. & 9.* & has flexis genibus; ſicut etiam ad id tenentur, qui Proceſſioni interſunt, ſed materialiter tantum, hoc eſt, confabulantes, & Litanias cum alijs non cantantes.

2 De Feſto Corporis Chriſti habes in principio huius libri, dum eſſet ſermo de Sanctiſſimo Sacramento Altaris.

## *De alijs Dominicis vſque ad Aduentum. Cap. XVII.*

COntingit aliquando, vt ommittatur liber Eſther, quando ſcilicet, Feſtum S. Michaelis occurrit in feria quinta, & Feſtum S. Angeli Cuſtodis fit in ſequenti Sabbato, prout decreuit *S. Rituum Congregatio die 9. Nouembris 1622.* Si verò Feſtum Angeli Cuſtodis transferatur in alium diem, legitur initium Eſther in Sabbato. Reliqua non indigent declaratione. In Aduentu, quæ adnotari poſſunt, patent in Breuiario.

## *De altero modo item probato celebrandi Veſp. ſolemnes à P.Gener. vel Prou. in ſua Prou. cum Aſſiſtente.* *Cap. XVIII.*

PRæter ea, quæ in Veſperis ſolemnioribus erunt obſeruanda, Celebrante P. Generali, ſeu Prouinciali, de quibus fuit ſupra ſatis explicatum, infraſcripta etiam laudabiliter in vſum accommodari poterunt, iuxta Cæremon. Epiſcop.

2 Qui præintonabit Antiphonas, (Erit autem vnus ex paratis, ſeu alter ad quem ſpectat, iuxta Eccleſiarum conſuetudinem. *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 1.*) parciori reuerentiā vtatur erga Patres, qui illas ſunt dicturi, videlicet, ſola capitis inclinatione. *Cær. Ep. l. 2. c. 1.*

3 Secundam Añam dicet paratus à dextris Superioris: tertiā Aſſiſtēs, ſic habet *Cær. Ep.* quem ordinē Añarum teſtátur eſſe debitum, condecentem, & iuxta ritum antiquum. quod ſi non placeat, fiat, vt ſup. hac p. 3. c. 3. vel iux. alteram Eccleſiarum conſuetudinem, intonent eas Aſſiſtentes Pluuialibus parati, ſi tot fuerint, debito inter ſe ordine ſeruato, & præintonante Cæremoniario. Pro Aſſiſtente etiam poterit deſeruire maior paratus, qui in tali caſu fieri debet: quartam primus, ac dignior ex Patribus, qui in Choro ſunt: quintam, & vltimam paratus à ſiniſtris Celebrantis. quando dignior Pater intonabit Antiphonam, omnes, qui ſunt in Choro ſurgunt, excepto Celebrante, & ei aſſiſtentibus. *Cærem. lib. 1. cap. 18.* Quando verò parati intonabunt Antiphonas, omnes alij parati coaſſiſtentes aſſurgent, excepto Celebrante, & non alij de Choro.

4 Dum cantatur Antiphona ad *Magnificat*, Celebrans ſedet, iuxta *Cæremon. Epiſcopal. & Canon. Regul.* & more ſolito incenſum in thuribulum imponit, Aſſiſtente Nauiculam thuris porrigente.

5 Aſſi.

5 Aſſiſtens debet porrigere Thuribulum Celebranti, & ab eodem illudmet recipere cum debitis oſculis, & Celebrantem apud ſuam ſedem ſtãtem capite aperto thurificare cum debitis reuerentijs. Thurificato autem Celebrante, immediatè thurificari debet Aſſiſtens, & alij parati, mox Chorus more ſolito.

6 Paretur Iuuenis Clericus, ſiue alius, qui teneat librum, dum à Celebrante eſt aliquid cantandum, vel legendum.

*De Nonnullis Decret. Sac. Rit. Cong. ſuper Celebratione Diuini Officij.* Cap. XIX.

QVi ſunt de gremio alicuius Eccleſię debent recitare Officium, quod in Choro dicitur, licet morentur alibi: die 8. Septembris 1602.

2 De Sancto, cuius inſignis habeatur Reliquia fieri poteſt Officium duplex in eius Feſto, dummodo ſit Reliquia approbata, & Sancti, cuius memoria ſaltem ſit in Martyrologio; ita Sac. Congr Rit. die 23. Nouemb. 1602. vbi tamen aſſeruatur prædicta Reliquia.

3 Reliquia verò inſignis eſt caput, brachium, crus, & ea pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr. modo ſit integra, & non parua, & in dicto Feſto recitatur *Credo*, quod non videtur recitandum in Translatione Sanctorum.

4 De Sancto canonizato non poteſt fieri Officium extra propriam Eccleſiam ſine nouo Decr. Sac. Rit. Congregat. 9. Decembris 1628.

5 Veſperæ Defunctorum pro 1. die Menſis dicuntur poſt Veſp. etiam Dominicę, ſeu Feſti ſi accidat: 23. Maij 1603.

6 Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licitè, vbi eſt conſuetudo, pridie Veſperi feriæ quartæ, & ſextæ: die 2. Auguſti 1603

7 Non eſt relinqendum Officium Breuiarij debitum

pro

pro Officio deuotionis: 29. Nouembris 1603.

8 Si accidat Dedicatio in Natiuit. B. V. fiat de eadem Dedicatione, & cantentur potius duæ Miſſæ, & infra Octauam fiat de digniori, vt in Rubrica de concurrentia Octauarum: die 16. Octobris 1604.

9 Feſtum Patroni loci celebrari poteſt ſine Octaua à Regularibus, vt cenſuit ſæpius Sac. Rituum Congregatio.

10 Officium paruum B. V. debet dici in Choro, etiam in ſemidupl. & Dominicis, ſi adſit conſuetudo: 1. Septembris 1607.

11 Matutinum Defunctorum in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, recitandum eſt mane, & non pridie Veſperi: die 1. Septembris 1607.

12 Feſtum S. Caroli in Prouincia Mediolanenſi celebrari poteſt ritu duplici: 20. Nouembris 1610.

13 Feſtum, & Officium S. Conradi, Placentiæ tantum, & Nettinæ in Sicilia conceſſa ſunt: die 19. Maij 1614. & Ordini S. Franciſci: 13. Septembris 1625.

14 Nomine Feſti nouem Lectionum intelligitur etiam Dominica: die 12. Martij 1618.

15 Præter propriæ Eccleſiæ Dedicationem celebrari quoque debet Anniuerſaria Dedicat. Eccleſiæ Cathedralis, in Ciuitate quidem cum Octaua, in Diœceſi ſine Octaua, ex Decreto Sac. Rit. Congregatio 2. Maij 1619. Erit tamen in Diœceſi quoque primæ Claſſis Feſtum, inſtar eorum, quæ transferuntur vltra Octauam, & ſine Octaua celebrantur: vel vti Feſtum Patroni loci, quod celebrari debet à Regularibus qui tamen non tenentur ad Octauam celebrandam. In cuius Dedicationis Miſſa, illud notandum, quod verba illa, quæ clauduntur parentheſi in Orat. ſecr. ommittuntur extra propriam Dedicationis Eccleſiam.

16 Feſtum Sancti Ioſeph eſt de præcepto vbique: die 8. Maij 1621.

17 Feſtum Sanctæ Annæ eſt de præcepto vbique: die 23. Aprilis 1622. ex Bulla Gregorij XV.

18 Si

18 Si titulus Eccleſiæ eſt de Cruce, ſufficit commemoratio de Cruce, quæ in officio feriali dicitur: 30. Martij 1621.

19 Veſperæ in Sabbato ante Dominicam priuilegiatam, in qua occurrit dies Octaua, dicuntur de feria, ſcilicet. Pſalmi Sabbati, & à Cap. ſit de Dominica priuilegiata, & in fine fit commemoratio diei Octauæ, vt in 1. Veſp. feſti, 9. Nouemb. 1622.

20 In fine completorij Purific. B. V. dicitur, *Aue Regina*; 27. Iulij 1624.

21 Symbolum S. Athanaſij laudabilius recitatur ſtando in Choro, 23. Decembris 1624.

22 Officium paruum B. V. in Choro tempore Paſchali dicitur ſine addito, Alleluia: 28. Martij 1626.

23 Officium Stigmatum S. Franciſci conceſſit Paulus V. celebrari poſſe vbiq. ab libitum Cleri: duplici quidem Offic. in Religione S. Franciſci. extrà eandem ſemidup. vt patet ex prima editione Rom. & per Decretum Sac. Rituum Congreg. die 28. Auguſti 1615. & rurſus 2. Octob. 1627.

24 Feſtum Angeli Cuſtodis eſt duplex minus: die 2. Octobris 1627.

25 Non potuerunt, neq. poſſunt locorum Ordinarij tam Regulares, quam Sæculares addere Calendarijs etiam proprijs Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis; vel Sac. Rituum Congreg. ſeu Sedis Apoſtolicæ licentià conceduntur; die 8. Aprilis 1628.

26 Item eadem Sacra Rituum Congreg. eadem die, & eodem Decreto, vetuit, & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſque Ordinarij auctoritate, Miſſam; vel feſtum cum Off. de Sancto, eo quod in loco ſit Eccl. Abbatialis. 18. Sept. 1628. Parochialis; vel Regularis. aut aliqua Reliquia, ſed tantum in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeù vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, & non alibi.

27 Eademq. die damnata fuere officia non approbata

à Sede

à Sede Apoſtolica ſub pœna librorum vetitorum, & nonſatisfaciendi muneri recitandi Diuini Officij.

*De quibuſdam Concluſionibus, & Regulis Diuinum Officium tangentibus.*
*Cap. XX.*

NOn poteſt fieri mutatio ritus, vt ſcilicet duplici ritu celebretur Feſtum, quod alias ſimplici ſub ritu, vel ſemiduplici decretum eſt; Pius enim V. in Bulla Breuiarij, non modo præcipit ſubſtantiam, ſed etiam modum, & formam Horarum Canonicarum.

2 De Sancto, cuius Reliquia non inſignis habetur ſi concedatur Officium, debet eſſe ſemiduplex, ad differentiam inſignis Reliquiæ.

3 Feriale Officium, Domini Officium eſt, quod à quocunque ſeruo non debet obrui: & ideo videatur, ne pluralitate Feſtorum fiat iniuria Officio feriali Domini Dei Noſtri.

4 Officium Dominicæ eſt valdè venerandum, eſt enim Officium primarium Domini, & ideo non prætermittendum, niſi ob Feſtum Duplex, & dummodo non ſint Dominicæ priuilegiatæ, vt Aduentus, Quadrageſimæ, &c. Et eſt tam celebre Officium Dominicæ, quod ſemper de eo ſaltem fit commemoratio, ſi minus Officium fieri queat, ob Feſtum duplex.

5 Omnes dies Octauæ pro vna Feſtiuitate computantur, & ideo appellatur prorogatio Feſti, ex quo ſequitur, quod eo nobilior eſt Octaua, quo minus interrupta eſt à Feſtis aliorum.

6 Octaua Dedicationis propriæ Eccleſiæ eſt maior, quàm Octaua Patroni loci, ſeu tituli Eccleſiæ. Dignior verò eſt Octaua Beatæ Virginis, Aſſumptæ, quàm Octaua Dedicationis.



Digitized by Google

7 Primæ Veſperæ ſecundis ſunt nobiliores.

8 Fit commemoratio de Semidupl. ante commemorationem diei infra octauam quia Semiduplex eſt Feſtum, dies verò infra Octauam non eſt Feſtum, ſed continuatio feſti.

9 Tam de Patrono loci, quàm de Titulari Eccleſię fit Officium, vt de duplici primæ Claſſis. Item fit octaua de vtroque, & quæcunque dantur Duplici primæ Claſſis, & octauis, eadem concedenda ſunt Patrono principali loci in loco ſuo, & Titulari in Eccleſia ſua.

10 Si Patroni plures, ſeu Titulares conceduntur: Officium quidem ſingulorum duplex erit, vt dicitur in Rubrica de Officio duplici nu. 1. Sed Octaua non conceditur ex Rubrica Breuiarij de Octauis, num. 1. niſi Feſto principalis Patroni, & principalis item Titularis Eccleſiæ: imò neque primæ Claſſis Feſtum erit, niſi ſit ſolemne principale Feſtum principalis Patroni, aut Tituli Eccleſiæ, vt apertè habetur in Rubrica de Commemorationibus num. 3. & 4. quale non eſt Patroni Tranſlatio, nec Feſta ſimilia.

11 Tanta eſt ſolemnitas Patroni loci, vt ſi incidat in Vigiliam, quæ ſit in Calendario, cum ieiunio de præcepto, nihil in Officio fiat de Vigilia, quæ meſtitiam infert: In menſa tamen ieiunandum erit, niſi transferatur in præcedentem diem ieiunium ipſum, actoritate maiorum.

12 In Vigilia Patroni ommittitur ſuffragium commune de Patrono, quod fit per Annum.

13 Si Tranſlatio alicuius Feſti fiat à tempore Paſchali ad tempus non Paſchale, recitandum erit Officium tempore non Paſchali; quod accidit in Tranſlatione aliquorum Sanctorum Martyrum menſe Maij.

14 Si occurrant duo Feſta, ſub vna ratione Feſti, in Calendario Romani Breuiarij, quorum tamen alterum eſt Feſtum Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ, verbi gratia, Feſtum S. Sebaſtiani, cui cum S. Fabiano fit ordinariè Feſtum, eo caſu fit de Patrono, ſeu Titulari tantum, hoc eſt, de S. Sebaſtiano

ſolo

ſolo vti Feſto primæ Claſſis, non autem de ſocio, eo die, Qui verò hac de cauſa in eorum proprio die ommittuntur, vel ſunt in Calendario ſub ritu duplici, vel ſemiduplici; & tunc prima die ſimiliter non impedita ſit Off. de ommiſſis ſub ritu Semiduplici, puta in exemplo allato, ſiet de S. Fabiano ritu Semiduplici poſt Octauam: vel ſunt ſub ritu Simplici, & tunc in ea Eccl. nihil fit de ſocijs ommiſſis. Quod ſi ij, qui diuiduntur ſunt altioris ordinis, & Claſſis, vt in Eccleſia S. Philippi Apoſtoli, de quo ſolo fit: idcirco Feſtum primæ Claſſis, eo caſu prima die non impedita fit Offic. de Tranſlato S. Iacobo ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, quia eſt de duodecim Apoſtolis, & die 4. Maij in Laudibus tantum fiet commemoratio cum 9. Lectione S. Monicæ.

15 Porrò prædicta ſeparatione facta Patroni. ſeu Titularis à ſocijs, quos illi habent in Calendario Romano, curandum erit, vt Oratio, Lectiones, & Euangelium cum Homilia congruant cum Feſto, ita vt pro vno, non pro pluribus Officium fiat, & deficientibus proprijs erit ad commune Sanctorum recurrendum, reſeruata Patrono potius oratione, quàm ſocijs, & in numero ſingulari accomodata, pro ſocijs autem ſumatur de Communi, vt ſit varietas, niſi fortè contingat, de ſocijs Officium fieri extra Octauam Patroni, ſeu Tituli, quo caſu variandi neceſſitas minimè vrgeret.

16 Titulus Altaris, ſeu Capellæ celebrandus eſt ſub ritu, prout in Calend. Rom. deſcribitur. In quo ſi neque nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Miſſæ feſtiuæ, cum Hymno Angelico. Sed Officium nullatenus fiat ſine licentia maiorum, ad quos attinet Officia mutare.

17 Veſperæ Defunctorum cum Matutinis, & Laudibus debent dici, & perſolui ex præcepto ab ijs, qui tenentur recitare Diuinum Off. in die Commemor. omnium fidelium Defunctorum cum ſit pars Diuini Offic. eo die præſcripti.

18 Quando fit Off. plurium Confeſſ. ſiue Pontif. ſiue non Pontif. datur facultas mutandi verba, tum in Oratione, tum in Sermonibus, vt ſonent numerum pluralem. Non

tamen in Sermone Sancti Gregorij ex libro Moralium: *Deridetur iuſti ſimplicitas*; quia non eſt propriè Sermo de Sancto, ſed Tractatus, & Expoſitio libri Iob. In Antiphona, Reſponſorio, Hymno, & Homilia nulla fit mutatio; licet non quadrent pluribus, quia nimia eſſet mutatio, & perdifficilis, vt congruat in omnibus.

*Finis Tertiæ Partis.*

CAERE-

# CAEREMONIALIS
## SECVNDVM ORDINEM
## S. R. ECCLESIAE

*Ex Praxi Cæremoniarum, & Commentarijs in Miſſalis, & Breuiarij Rubricas.*

De ijs, quæ pertinent ad quoſdam actus Inſtituti Noſtri proprios, & quæ ſupra non videbantur certam ſedem habere.

## PARS QVARTA.

*De Magiſtro Cæremoniarum, & eius officio.*
*Cap. I.*

MAgiſter Cæremoniarum, qui in Eccleſijs noſtris ſaltem maioribus deputari debet, (Ex *Valliſolet* 1593. *de Diſciplina Chori*,) Sacerdos ſit, quantum fieri poteſt, & morum grauitate præditus, in miniſterio Eccleſiaſtico ſacris actionibus, ac Cæremonijs eruditus, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ amantiſſimus. Sit omni prorſus corporis deformitate carens, quo officium ſuum decorè, ac pro rei dignitate exequi poſſit; grauis in omni actu ſuo, quod ſcilicet, non diſcurrat velociter, non caput leuiter voluat, aut manus

agitet,

Digitized by Google

agitet, & denique ritè, modeſtè, ac religioſè cuncta perficiat; maximè verò in ſolemnioribus ſit attentus, vt loco, ac tempore ſuo bene diſponantur vniuerſa.

2 Si quid extraordinarium agendum erit, præcipuè verò, ſi qua ſolemnitas occurrat, Superior in conſueta tabella deſignabit.

3 Quando celebranda erunt aliqua, quæ non ita frequenter occurrunt, re prius cum ſuperiore, vt decet, communicata, præuideat omnia, atque iuxta debitam formam diſponat, & antea vel ſimulatis geſtibus inſtruat.

4 Errata in ipſo actu (ſi quæ contingunt) vel modeſtè, ac leniter corrigat, vel ſilentio, maximè ſi fuerint leuia, tranſeat.

5 Eos, qui Sacris ordinibus initiantur, vel primam Miſſam celebrare debent, diligenter inſtruat, neque quiſquam primam Miſſam celebrare debet, qui ab eo non fuerit inſtructus.

6 Is ſuperpelliceo mundo indutus miniſterium ſuum præſtabit, & in primis curabit, vt omnibus opportunè præparatis pro Miſſa ſolemni, dum dicitur Tertia in Choro Celebrans, ac Miniſtri in Sacriſtia ſacras induant veſtes.

7 Dum fit Confeſſio in Miſſa genuflexus aſſiſtit poſt Miniſtros, pro incenſatione verò, facta Confeſſione, aſcendens ante ſupremum gradum Altaris, accepta Nauicula ab Acolytho, eam porrigit Diacono, & impoſito incenſo, rurſum acceptam Nauiculam à Diacono tradit Acolytho. Dum incenſatur Altare aſsiſtit à latere Epiſtolæ infra gradus.

8 Dum verò incenſatur Celebrans, ſtat propè Diaconum, faciens inclinationes cum eo, quod ſemper in incenſatione ſeruabit.

9 Dum cantatur Hymnus *Gloria in Excelſis*, Symbolum, & Sanctus, ipſe pariter ſtat in eodem cornu Epiſtolæ, vt ibi capitis inclinationibus, cum res poſtulauerit, Cele-

brantem

brantem cum Miniſtris, vt idem præſtent, facilè monere queat.

10 Diaconum, & Subdiaconum accedentes ad cantandam Epiſtolam, vel Euangelium comitabitur à ſiniſtris eorum. Item ad Credentiam, niſi in caſu, vt inf. num. 12. ſemper ducet, & deducet eos præcedendo.

11 Miniſtrabit incenſum, vt ſupra, pro incenſandis oblatis, deinde deducet Diaconum ad incenſandum Chorum, eique à latere aſſiſtens monebit, quando, & quibus ſit inclinandum, quos prius, quoſuè poſterius incenſare debeat, & quibus num. incenſationibus.

12 Deducet Subdiaconum deferentem pacem in Choro; eundem tamen deferentem poſtea Calicem ad Credentiam minimè deducet: non enim Subdiaconus in hoc caſu comitatur à Cæremoniario, cui neque ab eodem Subdiacono Calix tradi debet, ſed ipſe Subdiaconus ad Credentiam reportat, & vadit, reditque per breuiorem viam, vt adſit ad Orationem poſt Diaconum in loco ſuo.

13 Completa Miſſa, eodem Ordine, quo venerant deducit Celebrantem cum Miniſtris ad Sacriſtiam.

14 Eadem reſpectiuè obſeruabit ad Veſperas, cum ſolemniter celebrãtur, & in reliquis Officijs, quæ ſolemni ritu perficiuntur; præcipuè in exequijs, & abſolutione ad tumulum, vt infra ſuo loco.

15 Vbi verò ita ordinatè proceditur, vt ſinguli diligenter ſuum exequantur munus, Magiſter Cæremoniarum immunis erit ab huiuſmodi onere diebus ordinarijs.

16 Moneat quot cereos in Altari eſſe deceat, & quando ſint accendendi pro qualitate Feſtorum, & Officiorum.

17 Curet quoque ordinem obſeruari diligenter pulſandarum Campanarum in ſolemnioribus.

18 In proceſſionibus ad ipſum ſpectat omnes ritè, & ordine ſuo dirigerere, & curare, vt nullo modo interrumpatur, vel perturbetur proceſſio, atque vt pari paſſu, & graui inceſſu, debitaque diſtantia omnes, ac ſinguli progrediantur,

celeri

celeri quadam, ſed graui iteratione, ſi opus ſit, diſcurrendo, vtque omnia, præcipuè eodem ritu, cantentur, atque dicantur, prouideat.

19 Superior autem localis, qui continuè (niſi legitimè impeditus fuerit in Choro adeſſe debet) curabit in primis, vt Diuinum Officium debitè perſoluatur, inuigilando ſcilicet, ne quid prætermittatur, neuè abſurdè, vel indecorè, aut perturbatè fiat. Cæremoniario autem, vt ritè Officium ſuum exequatur, plurimum faueat, & alios de Choro, (vt mandat Cærem. Epiſc.) præmoneat, vt ipſi Cæremoniario in his, quæ ad Officium ſuum, cultumque Diuinum, & Cæremoniarum obſeruantiam ſpectant, ſine contradictione obediant, nec tantum eorum verbis acquieſcant, ſed vt oculos in ipſum conuertentes obſeruent, & illico illis nutu, aut leui aliquo ſigno, vel intuitu, quid agendum ſit ſignificanti, ſtatim pareant. Hęc *Carem. Epiſc.* & *ex Valliſol.*

Habenda tamen diſtinctio erit inter Vicarium, & Magiſtrum Cæremoniarum, ne mutuo ſe impediant, ſed vnuſquiſque intra limites ſui officij ſe contineat. Vbi verò non fuerit Magiſter Cæremoniarum, Vicarius Chori hoc munere fungetur. Qui propterea Cæremoniarum Eccleſiæ peritiam habere debebit.

## *De Vicario Chorali, & eius officio.* *Cap. II.*

Vicarius in primis die, noctuque in Choro ad Horas Canonicas, & reliqua officia celebranda (niſi cauſa infirmitatis excuſet) adeſſe continuè debebit.

2 Is in omnibus Rubricis, tam Breuiarij, quàm Miſſalis maximè verſatus erit, præcipuè verò Cantus firmi, ſeu Gregoriani perfectam cognitionem habebit, vt Canturiam, & Pſalmodiam moderari, regere, & ſuſtentare poſſit, obſeruando accuratè Conſtit. Valliſolet. circa Officium Diuinum.

3 Quæ

3 Quæ etiam intra Chorum facienda ſunt,(niſi aliter Superior conſtituerit) ad ipſum pertinet ordinare, ne ſi fieri poſſit, aliquis error committatur, vel in ordinatione Officij, vel in intonatione Antiphonarum, & Pſalmorum; circa quod erunt valde concordes Vicarius, & Magiſter Cęremoniarum.

4 Caueat præterea, ne quis in Choro indecenter, ac immodeſtè ſe gerat; atque (abſente Superiore,) riſus, colloquia, alioſuè actus incompoſitos diſcretè prohibeat: hoc autem ſecretò, aut ſolo nutu faciet, præſertim ſi ſæculares adſint. *Ex eiſd.*

5 Chorum vniuerſum ad ipſum ſpectat gubernare, & regere, & præcipuè; vt partes eius in numero Fratrum æquales ſint, diſponat, ita vt hinc inde æqualiter cantus pronuncietur, & quando oporteat, vnum, duos, vel tres, aut plures Fratres in alteram partem transferat.

6 E contra verò Fratres omnes in ijs, quæ ad Officium eius ſpectant, ei parere debebunt, ita vt præcipuè in aſcenſu, aut deſcenſu vocis, & cantus faciant ſe illi ſine vlla contradictione ſtatim concordes, atque ita in feſtinatione, aut protractione Pſalmorum, & cantus, in pauſis, & intonationibus, & cæteris huiuſmodi ſe illi omnino conforment. *Ex eiſdem.*

7 Erit autem ſedes Vicarij in Choro quæ prima ſit in ordine ſedium inferiorum ab ea parte, vbi eſt Tabula *Chorus*; ſed præſente P. Generali, ea ſit, quæ prima eſt ex altera parte: nam in parte illa inferiori primi Chori erit tunc ſedes Hebdomadarij non parati. Prima verò ſedes totius Chori, quæ Patri Generali debetur, à nullo ex Fratribus eſſet, eo etiam abſente, occupanda, ſi fieri poteſt.

## *De Diſciplina in Choro ſeruanda.* Cap. III.

AD Chorum cùm Fratres venerint,facta in medio reuerentia debita, quilibet ad locum ſuum accedens genuflexus manebit, donec ſignum detur inchoandi Officium, hoc ſemper attendentes, vt æquali forma omnes ſimul ſtent, vel ſedeant, vel genuflectant, vel ſurgant, pares omnes in aperiendo, vel cooperiendo capite. *Ex eiſd.*

2 Si quis iam inchoato Officio ad Chorum ſuperuenerit, primum verſus Altare genuflexus parumper orabit, poſtmodum reliquos de Choro ſalutabit, quem tunc, & non prius reliqui etiam conſalutabunt, prout qualitas perſonæ poſtulauerit. Quod ſi dicatur *Gloria Patri*, vel *Deus in adiutorium*, aut Hymnus, vel in Miſſa Oratio, aut Euangelium, ſtans expectat, donec ea perficiantur. Ita *Cær.Ep.l.*1.*c.*18. Chorum igitur ingredientes, vel egredientes reuerentiam faciant Altari, Prælato, (ſi adſit) & reliquis, vbi obſeruandum illud erit, quod communiter loquendo, qui egreſſuri ſunt, inclinationem primum Superiori, deinde genuflexionem Sãctiſſimo Sacramento facient. Quod ſi commodius eſſet ob loci ſitum, reuerentia prius Sacramento debita fiet, (ſi ibi fuerit,) deinde Superiori, ita tamen ne Sacramento vnquam terga vertantur. Obſeruandum præterea eſt, quod plures facturus reuerentias, non conſideratur, cui prius, vel poſtea reuerentia exhibeatur, ſed tantum attenditur commoditas gradientis, ac propterea regulariter prius reuerentia fiat ei, à quo quis diſcedit, licet ſit minus dignus, mox Altari vnde tranſit, ac tandem ei, ad quem accedit, nulla in loco attenta perſonarum qualitate, & ſi plures in eodem loco ſint Prælati æqualis, vel etiam inæqualis dignitatis, ſufficit, ſi primo eorum fiat reuerentia: ſemper tamen, maiore præſente, ob eius reuerentiam, Superiori ordinario, ſi ſit inferioris gradus, non adeo profunda fiet reuerentia, quod eſt obſeruandum etiam ab ijs, qui thurificant. Qui verò in Choro

Supe-

Superior eſt, inclinationem faciet ad ſedem ſuam.

3 A quolibet ſtrepitu erit cauendum in Choro, præcipuè cum ſedilia eleuantur, vel dimittuntur. quotieſcunque autem genuflectendum, ſeu inclinandum eſt, hoc fiat ſemper capite detecto. item regulariter in Miſſa, quæ cantatur, & præcipuè ad Euangelium; & à principio Præfat. vſque in finem Miſſæ cantatæ. In priuatis Miſſis. In Officio Diuino à principio Matut. vſque ad expletum Hymnum ante Noct. Itemque ad alias Horas. Ad Veſp. & Complet. vſque ad *Alleluia*, incluſ. poſt *Deus in adiutorium*. Item in omnibus Horis à capite vſque in finem, excepto Martyrol. Ad Euang. ante Homiliam. Et dum Fratres cantant, vel legunt publicè ſinguli, aut bini. *Ex eiſd.*

4 Obſeruari inſuper debet Cærem. Epiſc. circa diſciplinam maximè, quam docet eſſe in Choro ſeruandã; nimirum, quod nullus in eo ſit, qui intra Chorum colloquia miſceat, nec qui riſu, aliouè incompoſito, ſeu minus modeſto actu rem diuinam perturbet, non qui cum cæterorum ſcandalo dormiat, litteras, aut alias ſcripturas legat: ſed nec libros, aut ipſum Breuiarium, aut diurnum in manibus habeat, vt ex illis priuatim Horas, aut Orationes recitet, ſed illas alta voce vnà cum Choro dicat, aut cantet, & ad id librum habere permittantur, & nullus denique geſtum aliquem ab alijs dfferentem demonſtret. Hactenus præd. Cærem. Epiſc.

## *De Ratione pſallendi.* *Cap. IV.*

IN pſallendo vniſona debet vox eſſe; atque ſonora, ſine vlla flexione, aut tonorum variatione. *Ex eiſd.*

2 Diebus Feſtis de præcepto conueniens eſt, vt tardior aliquanto ſit pronunciatio, quod etiam obſeruari debet in Canticis *Magnificat*, *Benedictus*, *Nunc dimittis*, & *Te Deum laudamus*, ſimiliter tardius Officium diuinum, quàm paruum B. Virginis & mortuorum dicitur.

3 Officium Defunctorum grauiori voce pronunciandum

eſt, & Preces feriales, diebus, quibus ieiunatur; Item Verſ. *Fidelium animæ*, in fine Officij, & Antiph. B.V. cum Verſu, excepta *Regina cæli*, tempore Paſchali, & excepto Completorio, poſt quod Antiphonæ prædictæ B. V. eadem voce, qua diuinum Officium, recitabuntur. Item Confeſſio, & Abſolutio ſemper grauiori voce proferuntur.

4 Si ſumatur Antiphona Pſalmi ex principio eiuſdem, ita vt eadem ſit cum ipſo principio, non dicitur principium Pſalmi, ſed continuatur quod ſequitur in Pſalmo ab eo loco, vbi deſinit Antiphona: vt ad *Qui habitat*, in Dedicatione Eccleſię, quod Pſalmi principium non eſt amplius repetendum. Sed notandum tamen, quod ſi Antiphonæ addatur *Alleluia*, vt in tempore Paſchali, tunc reſumendum eſt principium Pſalmi, & ceſſat regula prædicta. Hoc ipſum contingit in Aſcenſione Domini ad Pſalmum *Exaltabo te*.

5 Ad conſeruandam punctorum exactam rationem in quibuſdam Pſalmis, in quibus ad punctum medium error librariorum eſt ſciendum, quod in Dominica in Pſalmo 17. ſic eſt interpungendum. *Quoniam tu illuminas lucernam meam:* Ad Primam in Pſalmo fer. 6. *Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre: Spes mea ab vberibus Matris meæ, &c.* Fer. 2. Ad Matutinum in Pſalmo 26. *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum:* Ad Laud. in Pſalmo. *Quoniam ad te orabo:* fer. 6. Ad Matutinum. *Quoniam dixiſti in æternum Miſericordia ædificabitur:* Ad Laudes in Pſalmo 142. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam.*

6 In *Confiteor*, qui recitat Officium ſolus ommittere debet *vobis fratres*, & *vos fratres*, ſemelque recitabit, & dicet. *Miſereatur noſtri*, & *peccatis noſtris*. *Perducat nos, &c.*

Di

*De varia Hymnorum intonatione.* *Cap. V.*

HYmni tempore Aduentus, & Quadtageſimæ, tam in Dominicis, quàm ferijs ad omnes Horas, & Completorium, cantantur ſuper Hymnos Laudum, dummodo Officium ſit de tempore, aliàs verò tempore Paſſionis ſuper *Vexilla Regis prodeunt*: A Veſperis Natiuitatis Domini, & per totam Octauam, & Feſtis tunc occurrentibus vſque ad Epiphaniam, ad prædictas, & alias horas, quando ſunt eiuſdem metri ſub *Chriſte Redemptor omnium*. In Epiphania; & per totam Octauam ſuper *Hoſtis Herodes impie*. In omnibus Feſtis B. M. Virginis, & quando de ea ſit Officium in Sabbato ſuper *Quem terra, pontus, æthera*. Tempore Paſchali ſuper tono ſuo, hoc eſt ſuper *Ad Cœnam agni prouidi*. In Aſcenſione ſuper *Ieſu noſtra Redemptio*, & per Octauam. In Pentecoſte, & per Octauam ſuper *Iam Chriſtus aſtra aſcenderat*. excepta Tertia, in qua dicitur *Veni Creator Spiritus*. In Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, ſuper *O lux beata Trinitas*. In Feſto Corporis Chriſti, & per Octauam ſuper *Quem terra, pontus, æthera*. In Transfiguratione Domini, ſuper *Ieſu noſtra redemptio*. In Feſto Omnium Sanctorum, & per Octauam ſub tono Nauitatis Domini. In Feſto Inuentionis Sanctæ Crucis ſub tono Paſchali, licet vltimus Verſus *Te Summa Deus*, &c. non mutetur. In Feſto Exaltationis eiuſdem; ſub tono Beatæ Mariæ Virginis, propter Octauam Natiuitatis eiuſdem. In Feſtis Apoſtolorum, Euangeliſtarum, & plurimorum Martyrum, & in Feſtis duplicibus, non habentibus Hymnos talis metri, vt Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, & in Feſto Sancti Michaelis Archangeli, ſub tono *Aeterna Chriſti munera*. Sub quo in omnibus duplicibus proprium tonum non habentibus conſueuerunt Eccleſiæ noſtræ Hymnos ad omnes Horas intonare, ſed iuxta Directorium Romanum.

In

In Feſto omnium Sanctorum, & per Octauam ſuper *Chriſte Redemptor omnium*. In Feſtis Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum, Virginum, & non Virginum, ſub tono *Ieſu corona Virginum*, cantantur. In Feſto S. Franciſci, & Sanctorum Ordinis, ſuper *Proles de cælo prodijt*, & per Octauam. In Feſto S. Claræ adeſt proprius tonus, qui ſolet ſeruari in Feſtis Sanctarum eiuſdem Ordinis.

2 Notandum verò hanc tonorum varietatem intelligendam eſſe, quoad Hymnos Horarum, videlicet, Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, & Completorij: nam in Feſtis & Dominicis ad Veſperas, & ad Matutinum ſemper cantantur Hymni ſub tono, & notis proprijs, niſi ratione aliquarum ſolemnitatum, vel ratione temporis Paſchalis, quarum cauſa vltimus Verſus dicitur ad finem omnium Hymnorum eiuſdem metri, quia tunc Horarum Hymni cantantur ſub tono prædictarum ſolemnitatum.

3 Obſeruandum præterea, quod quando occurrit, vt Capitulum fiat ad Veſperas de alio Sancto, tonus Hymni ad Completorium ſequens erit illius Feſtiuitatis ſequentis, cuius celebratum eſt Capitulum ad Veſperas, niſi Veſperarum antecedentium vltimus Verſus Hymnorum eſſet proprius, quia tunc non ſolum ad Completorium, ſed etiam ad Capitulum cantaretur ſub tono illius Feſti antecedentis. Quod ſi, exempli gratia, darentur duæ ſimul Octauæ, ſeruetur tonus Octauæ prædominantis. In Dominicis, quoad tonum Hymni Veſperarum, ſolitus tonus ſeruetur ſuper *Lucis Creator optimè*, & ad Completorium, vt in Pſalterio.

*De*

## *De Diſciplina in Genuflexionibus, Inclinationibus, & huiuſmodi adhibenda.* *Cap. VI.*

CIrca Genuflexiones, & Inclinationes, In Officio, vel Miſſa intra Chorum faciendas, de quibus ſupra aliquid ſignificatum fuit. *p.*2. *cap.*29. & 30. & in *p.*3. *c.*7. & 9. ſciẽdum prӕterea eſt, *Ex Conſtit. Valliſol. de ſacris rit & cӕr.* quod ad *Te ergo quӕſumus*, debent Fratres genuflectere vſque ad *redemiſti* incluſiuè, Ad *Tantum ergo Sacramentum*, (expoſito Sacramento) vſque ad *defectui*. Ad Verſiculum, *O Crux Aue ſpes vnica*, vſque ad *dona veniam*, etiam tempore Paſchali. Ad Hymnos. *Veni Creator Spiritus*. *Aue Maris Stella*. vſque ad finem primi metri. Quos quidem Hymnos, quando Hebdomadarius, vel alius Celebrans intonat; ſtans enunciabit, & poſt illa prima verba genuflectet ſtatim. In Miſſa genuflectitur in Choro ad illa verba. *In nomine Ieſu omne genu flectatur*, vſque ad *infernorum*: in Epiſtola tamen, non autem in Introitu. Ad illa verba Symboli. *Et incarnatus eſt*, vſque ad *Et homo factus eſt*. Ad illa Euangelij S. Ioannis: *Et Verbum caro factum eſt*. Et prӕcipuè quando ſolemniter cantatur in tertia Miſſa Natiuitatis Domini. Ad illa Euangelij Epiphaniӕ, *Et procidentes adorauerũt eum*. Ad Euangelium Cӕci nati, *Et procidens adorauit*, & ad hӕc tria vltima in Verſ. & Reſp. dicta, ſtandum erit. iuxta *Gauant*. Ad illa Paſſionum, *Expirauit, emiſit ſpiritum*, non ſolum genuflectitur, ſed pauſatur aliquantulũ, donec detur ſurgẽdi ſignũ. Ad Verſ. *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter*, & *Veni ſancte Spiritus*, vſque ad finem. Prӕterea, notandum eſt, quod ad Antiphonas, ad quas dictum fuit non genuflecti in fine Officij tempore Paſchali, vel Dominicis diebus, neque etiam in principio earum genuflectitur, vt *Regina Cӕli*. *Alma Redemptoris*, &c. Non erit tamen incongruum, vt caput

put ad earum intonationem inclinetur.

2 Similiter præter alia, ad quæ ſupra dictum fuit debere genuflecti, genuflectendum erit ad Preces Horarum, tempore Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor temporum, & Vigiliarum vſque ad Verſiculum *Benedicamus Domino*. poſt vltimam orationem. Ad Preces in Veſperis Defunctorum, etiam quando dicitur totum Officium Defunctorum. Ad Preces Gradualium, & ad Septem Pſalmos Pœnitentiales, Ad Preces Litaniarum; Ad Preces Quadraginta horarum, excepto Hebdomadario, à quo etiam primum *Kyrie eleiſon* in dictis Precibus dicitur, & Precum ipſarum Verſiculi, & qui item, finitis Precibus, ſolus ſurgit ad *Dominus vobiſcum*, & cum aliqua capitis inclinatione ad Altare, dum dicit *Oremus*, ſemper ſtat vſque ad finem Orationis, vel Orationum, quod debet ſeruare, etiam ſi fuerit ante Sanctiſſimum Sacramentum diſcoopertum, & generaliter nunquam, dicendo Orationes, debet manere genuflexus. Ad *Tu autem Domine*, poſt Lectionem, ad quam non genuflectatur (quod ſit vltima, vt ſupra dictum fuit) caput tamen profūdè inclinatur.

3 Quando etiam inclinantur Fratres ad *Gloria Patri*, inclnati manent vſque *Sicut erat*. ita *Carem. Epiſc.* & in vltimo Verſu Hymnorum pariter hoc ipſum obſeruent, vſque dum nominata fuerit Sanctiſſima Trinitas tota. In Orationibus quoque Horarum vſque ad *Per omnia ſæcula, &c.* excluſiuè. Si autem fuerint plures Orationes, vt in Matutinis, Veſperis, & Miſſis maioribus ſtent inclinati in prima Oratione tantum. Itemque ad Benedictionem in Prima, & Completorio caput inclinatur. Et quandocunque ſignat ſe Sacerdos, vt in *part. 3. cap. 9.* ſignant ſe pariter, & alij.

4 In Miſſa autem maiori, quando inclinat caput Celebrans ad aliqua verba, ad ea pariter inclinat Chorum quando cantantur, vt *Gloria in excelſis Deo: Adoramus te. Gratias agimus tibi: Suſcipe deprecationem noſtram.*

5 Sic & in Euangelio ad *Gloria tibi Domine*. Ad *Credo*, cum

cum dicitur, *Simul adoratur*. In Præfatione ad *Gratias agamus Domino Deo noſtro* Ad *Benedictus qui venit*,&c.

6 In fine Horarum, quando canenda eſt Miſſa, nihilominus dicitur ſemper *Pater noſter* tantum, & ſecreto poſt *Fidelium animæ*,

7 Ad Hymnos, ad Cantica *Magnificat*, *Benedictus*, & Symbola; Capitula, orationes, & huiuſmodi, ad quæ ſtandum eſt in Choro, tam in Veſperis, quàm in Miſſa, ſtent Fratres capite detecto extra Stallum, ſeu ſedem ſuam, neque illi aliquo modo parum modeſtè inhærere debent.

8 In Officijs Hebdomadæ maioris ad orationem *Reſpice quæſumus Domine*. Sacerdos permanet genuflexus dum alijs, iuxtà *Cærem. Epiſ.* & capite aliquantulum inclinatus, quæ inclinatio nec alios decebit, excepta feria quarta in Veſperis quia præmittit *Dominus vobiſcum*.

9 In accendendo, recedendo, vel tranſeundo ante Altare, in quo ſit repoſitum Euchariſtiæ Sacramentum quolibet modo, omnes genuflectere debent. *Cærem. Epiſ. lib.* 1. *c.* 12.

10 Ad *O Salutaris Hoſtia* non eſt genuflectendum, niſi ex quadam pia conſuetudine, vt dictum eſt ſupra, & ſolemniter expoſitum ſit Sacramentum, ſed eo minus ad *O verè digna hoſtia*, cum hæ non ſint venerationes, vel ſalutationes, ſed potius quędam inuocationes; inclinatio tamen fiet ad omnia ſupradicta, dum ſit Sacramentum in Tabernaculo Altaris, licet non expoſitum.

11 In Capitulo etiam Nonæ Dominicæ Palmarum ad ea verba *In Nomine Ieſu &c.* & in lectionibus Inuentionis Sanctæ Crucis decet ſi ſtatur genuflectere, cum ibi verba non intermiſceantur, quæ proprium textum varient. & parimodo laudabiliter ad totum verſum in Hymno Natiuitatis. *Nos quoq; qui Sancto tuo &c.*

12 Genuflectitur præterea ab omnibus ad benedictionem in fine Miſſæ, etiam a Diacono, & Subdiacono ſemper.

13 Vbi dicit Rubrica Miſſalis xvij. 5. genuflecti dicto per Celebrantem *Sanctus*, intelligi debet de ijs, qui non cantant. Quod erit obſeruandum in ſimili, & præcipuè circa tempus ſedendi in Miſſa maiori, & Horis.

14 Ad Lectionem Superioris, vel Celebrantis cuiuſlibet parati, decet maximè, vt omnes ſtent detecto capite.

15 Quando Superior benedicit, ad primam cuiuslibet Nocturni benedictionem ſtabit detecto capite, ad alias ſedebit. *Ex Caremon. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 5. Alij verò, vt ſupra.

16 Accedentes, & recedentes à medio Chori, qui ſit poſt Altare maius, in quo aſſeruetur Sanctiſſimum Sacramentum, quod ſit verſus Chorum, ſi appropinquent Sacramento, genuflectant; alioquin caput profundè ſaltem inclinent, cum verò per medium tranſeunt ſemper genuflectant.

17 Quinimo, iuxta *Caremon. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 18. etiam ſi in Altari maiori non fuerit Sacramentum, poterit ea diſtinctio perſonarum fieri, quæ ibi fit Epiſcopi, & Canonicorum, quod, ſcilicet, genuflectatur Altari ſemper ab ijs, qui non ſunt graduati inſignes, prout erunt Superiores, hi verò caput, & humeros profundè inclinent:

18 Cum Sanctiſſimum Sacramentum oſtenditur, ſiue per breue ſpatium miniſtratur, in genuflexione, vtroque genu facta erit pauſandum; aliter flexo dextero genu, receditur.

19 Si per aliquod temporis ſpatiũ permanẽdum ſit genibus flexis in aliquo loco altiori, quàm ſit locus pedum, prius genu dexterum flectitur in inferiori loco pedum, abſque puluino, etiam ſi fuerit Magnus aliquis Præſul, poſtea vtrumque in altiori, vt ex *Carem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 2. 12. 15. *ac* 18. & ſimiliter in eodem plano, cùm diſcedendum erit, dexterum flectetur, etiamſi in plano oratum fuerit, quod intelligitur ſi locus genuflexionem poſtulat, alioquin ante orationem, & poſt inclinatio fiet.

20 Con.

20 Conſuetudo illa petendi benedictionem à Superioribus, ab ijs, qui communicaturi ſunt, & eo minus quando fuerint communicati, non videtur approbanda in conſpectu Sanctiſſimi Sacramenti iam expoſiti, vt colligitur in ſimili ex *Cærem. Epiſc. l.1.c.*18.

21 Diſciplina autem, & modus genuflexionis eſt: quod ea fiat vſque ad locum pedum genua incuruando. *Cærem. Epiſcop. lib.1.cap.*2.12.15.*&* 18. caput aliquantulum inclinando, genua, nec contrahendo, vel extendendo nimis, non humeros, aut corpus ſuper genu, quod flectitur incuruando, pedes directos ponendo, idque cum graui motu, & reuerentia, neque huc illuc oculos vertendo, & præterea laudabilis eſt vſus ille in aliquibus locis apponendi in Choro, & in ea parte, in qua Fratres debent Altari reuerentiam facere, ſignum aliquod, verbi gratia, marmoreum cum inſcriptione *Hic genuflectitur*. Genuflexio, quæ fieri debeat vnico genu, dextero, non ſiniſtro genu fiet.

22 Ad Orationes Commemorationum dictum fuit ſupra non oportere inclinari; veruntamen ad concluſionem vltimæ orationis cum dicitur. *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, propter mentionem Sanctiſſimæ Trinitatis decet inclinari. Decet præterea omnes caput inclinare verſus Altare, ad *Orate Fratres*, & *Ite Miſſa eſt*. Itemque, vt in principio, ita & in fine Euangelij ad *Laus tibi Chriſte*.

23 Ad ſignificationem Salutationis Angelicæ quæ fit mane, meridie, & veſpere. flexis genibus orare oportet, exceptis diebus Dominicis, & tempore Paſchali. Sin autem Fratres fuerint in Choro pſallentes, & Officium diuinum recitantes, ſacra illa actio non videtur impedienda, quare præſtantius erit fortaſsè, vt ſignum illud detur, vel ante inchoationem officij, prout fit in aliquibus locis, vel poſt abſolutum Officium, iuxta temporis opportunitatem.

24 *Ad Sanctus, Sanctus, Sanctus*, in *Te Deum laudamus*, & Miſſa decet etiam, quod alternè ſe inclinent Fratres, ſcilicet vnus Chorus, dum recitat alter. Et pari modo in



Digitized by Google

Miſſa ad *Agnus Dei* ſicut ſe inclinat Sacerdos celebrans.

25 Inclinare ſe debent Miniſtri in Altari, quoties inclinat ſe Celebrans dicens aliquid voce non ſecreta.

26 In officijs inclinatur ad totum *Pater noſter*. *Aue Maria*, *Credo*, ante Horas, & alias ad *Pater noſter*. poſt hæc verba, vſque ad *Et ne nos inducas in tentationem*, excluſiuè.

27 Item ad Hymnorum concluſiones, quando in eis nominatur S. Trinitas. *Carem. Epiſc. lib. 2. c. 6.* hoc eſt ſub nomine Trinitatis, ſeu Trini, vel Patris, & Filij, & Spiritus ſancti & in Feſto eiuſdem S. Trinitatis ad illius mentionem in Antiphonis, Reſponſorijs, & Verſibus. Et conſequenter ad *Nunc ſancte nobis Spiritus*, *vnum Patri cum Filio*. *Beata ſit ſancta Trinitas* cum ſimilia ſint.

28 Ad Confiteor inclinatur alternàtim, ſcilicet ſucceſſiuè à dicentibus, & ſic à Sacerdote cum ab alijs dicitur *Miſereatur*, & pariter inclinatur ab alijs ad *Indulgentiam*, dum dicitur *Tibi Pater*, *& Te Pater* aliquantum verſus Sacerdotem inclinatur à dicentibus.

29 Inclinare debet Sacerdos officium faciens ſuo Prælato ante *Deus in adiutorium* initio Officij, ſcilicet ſuperiori locali, eo magis Prouinciali, Generali, vel alteri in ſua iuriſdictione, ſic ante *Indulgentiam*, in Horis, & ante benedictionem ad finem Completorij, & Primæ. ſic cuilibet Prælato præſenti, & facilè viſibili iuriſdictionem in eo loco habenti, & Cardinali vbique ſicut Epiſcopo ordinario, vt docet *Car. Epiſc. lib. 2. cap. 2. & 4.* Sed in Confeſſione ad *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, inclinatur profundè.

30 Modus autem profundè inclinandi eſt capite, & humeris ſimul, atque ita vt manus ad genua ſi extenderentur, peruenire poſſent, non autem profundius, neque altius.

31 Quando ſunt dicendę lectiones. non prius quidem ſedeant, quàm verba Benedictionis Hebdomadarius protulerit, & Chorus reſponderit Amen.

33 Si quis non potuerit cum alijs ſtare, ſeu genuflectere, aut capite detecto eſſe, diſpenſet Superior in eo quod æquũ

fuerit

fuerit, & diſpenſatio deberet alijs etiam innoteſcere.

33 Lectores in Choro, ita opportunè accedent ad Lectorile, vt à Choro non expectentur, recitabunt autem manibus hinc inde ſuper librum poſitis, neque ante incipiant legere, quàm omnes in Choro ſimul conſederint.

34 Iuuenes autem præcipuè dum legunt aduertant ſi corrigantur in aliquo, & ſine mora id proferant, quod ipſe corrector emendauerit, corrigantur autem à Superiore ſuo, vel ab eo, quem Superior elegerit.

35 Dicentes *Iube domne benedicere,* vertent ſe, vt ſupra ad Hebdomadarium, ſed non toto corpore, ne terga vertant Altari, & qui non ſunt Sacerdotes, profundè inclinabunt, profundius autem Superiori ſuo. Ita autem manebunt, donec ille totam benedictionem pronunciauerit. Generalis ſi legat ſolemniter vltimam lectionem poterit dicere, *Iube Domine benedicere*, Choro reſpondente Amen, quod etiam Pouinciali conuenire poteſt in ſua Prouincia. In cuius Lectionis fine non genuflectet, ſed profundè inclinabit dicendo, *Tu autem Domine*, &c.

36 In Com munione generali, qui non communicant ſtant ad Confeſſionem, quæ Communioni præmittitur; Communicandi verò genuflectunt, & vocantur à Cæremoniario, vel à Vicario.

De

more ſolito miniſtratur incenſum. Acolythus verò, ſiue Cæremoniarius cum ad incenſationem affert Thuribulũ ad celebrantem, ſiniſtra illud tenet, nauiculam autem cum thure, & cochleari dextra.

6 Aduertat prçterea Thuriferarius, vt cum dat Thuribulum in manibus vel Aſſiſtentis, vel Diaconi, qui mox Celebranti Altare thurificaturo porrigunt, catenularum ſummitatem in dextera, Thuribulũ verò in ſiniſtra dicti miniſtri ponat, vt ipſe deinceps commodius ad manus Celebrantis cõtrario modo porrigat; videlicet catenulas in ſiniſtra, Thuribulum in dextera, ita *Cær. Epiſc. lib.* 1.*cap.* 23.

7 Thuriferarius cum fert Thuribulum, præit Cæroferarijs: ſi non habeat Thuribulum, poſt Cçroferarios ibit à dextris Acolythi ſi ad ſit; ſi non adſit, Acolythus it à ſiniſtris Cæremoniarij: ſi fuerit ſolus, in medio.

8 Thuriferarius ad Altare reuerentiam facit poſt Celebrantem. ſi aderit Acolythus, manebunt hinc inde mediũ Celebrantem à tergo tenentes. Si aderit etiam Cæremoniarius, is in medio horum duorum manebit, reliqui rectam lineam formant.

9 Si Celebrans cum Miniſtris non ſedeat, ſed apud Altare ſint, Diacono veniente cum Burſa ad Altare, Sacerdos, & Subdiaconus paulalum ſecedant verſus cornu Euangelij, vt ei locum medium Altaris relinquant ad explicãdum Corporale. Quod ſi Celebrans, & Miniſtri ſedeant, Diaconus ſurgit, inclinat caput Celebranti, & Burſam defert, vt in Rubr. Miſſ. eleuatam vſque ad faciem, & quaſi ſedentem, procedens ſolus per planum Capellæ ad medium Altaris, vbi facta genuflexione aſcendit ad Altare, & explicat Corporale, poſtea facta ibidem genuflexione, reuertitur ad ſedem ſuam per viam breuiorem, hoc eſt per latus Epiſtolç, & inclinatione Celebranti facta, ſedet, & caput tegit; ſin autem non ſedeant, vide, quæ dicta ſunt ſupra, *part.* 2.*cap.* 7. *num.* 12.

10 Euangelium cantatur in plano Capellæ, non ſupra gradus.

Digitized by Google

dus. Diaconus autem cantato Euangelio, ſi folium vertendum ſit (quia principium Euangelij eſt in præcedenti ſolio, quod debet oſculari Sacerdos) illud vertat ſtatim ac finierit Euangelium, & deinde recipit Thuribulum de manu Cęremoniarij (ſi adſit.) Dextera, & ſiniſtra, quæ attendenda eſt in incenſatione oblatorum; eſt dextera, vel ſiniſtra Celebrantis, non autem Altaris, qui Celebrans, quando expoſitum ſit Sanctiſſ. Sacramentum, ibi incenſatur, vbi tunc lauat manus, hoc eſt extra Altare in cornu Epiſtolæ verſa facie ad populnm, & à Diacono contra ipſum ſtante in plano.

11 Illud præterea videtur adnotandum circa incenſationem Chori in Veſp. quod, ſcilicet præſente P. Generali, vel etiam Prouinciali in ſua Prouincia Celebrans (ſi ita præſtare videbitur) poterit apud Altare incenſari prout in Miſſa, deinde ad ſedem ſuam reuertetur, & reliqua fient, vt ſupra. Sed regulariter primus omnium, quicunque ille ſit, præſente quolibet, incenſatur Celebrans. *Cær. Ep. l.* 1. *c.* 23. *& lib.* 2. *c.* 1. 2. *&* 3. ſicuti etiam regulariter Celebrans, præſente Generali, ſeu Prouinciali non erit niſi duplici ductu incenſandus, vt *ex Gau p.* 2. 1. 8.

12 Aſſiſtens, quando datur in Miſsa, (non detur autem, niſi Prælatis, & nouis Sacerdotibus primò:) aduertat, ne Pluuiale accipiat priuſquam Celebrans ſit caſula indutus, & ad Altare procedens ad dexteram Diaconi incedat, vel à dextris Celebrantis ad cuius ſiniſtram Diaconus eat. Dum Subdiaconus cantato Euangelio librum Celebranti oſculandum porrigit, ipſe adiuuat, manum apponendo, deinde retrahit ſe non cum libro ad cornu Euangelij. Dum Celebrans thurificat Altare, & Celebrante redeunte ad ſedendū, ipſe eum ſequitur, & apud eum manet. Cum aſcendit Celebrans ad Altare, ipſe à ſiniſtris illum gradum Altaris aſcēdentem adiuuat. Et tandem, data pace in Choro (ſi ab eo danda ſit,) vt ſupra *p.* 2. *c.* 11. prout regulariter ab eo datur in Choro, accepta prius à Celebrante, vt ait *Craſſ. l.* 1. *cap.* 50. dat eam vltimo loco Cæremoniario, qui eum duxit, & redit

ad

ad Altare, vbi transfert librum à cornu Euangelij ad cornu Epiſtolæ, (niſi iam tranſlatus eſſet à Diacono.) Ita *Cærem. Epiſc.* & reliqua, vide ſupra *p. 2. c. 10.* Vbi regula pacis dandæ eſt: quod per oſculum à Subdiacono detur primo cuiuſque ordinis. Per inſtrumentum verò datur laicis ſęcularibus, nimirum ab eodem Subdiacono ijs laicis, quos Diaconus thurificauit, cæteris ab Acolytho.

13 Cum Miniſtri ad Altare genuflectunt, non tangunt illud, ſed genuflectunt manibus iunctis,

14 Ad eleuationem Sanctiſſimi Sacramenti, quatuor, vel duo intorticia iuxta Feſti, & Celebrantis qualitatem, à quatuor, vel duobus Acolythis, circa medium Præfationis accenſa deferentur, & paulo ante Canonem exibunt è Choro bini, primò minores, deinde maiores, præcedente Thuriferario cum Thuribulo, & Nauicula, hic per latus Euangelij, illi hinc inde per vtrumque latus; Cumque peruenerint in planum Capellæ expectantes ſe inuicem, & quaſi rectam lineam formantes medium Thuriferarium habentes, omnes ſimul genuflexionem facient, ſurgent, & reuerentia mutuò facta, iterum, genuflectent ambobus genibus, æqualem inter ſe diſtantiam ſeruantes, & ab Altari quatuor ferè paſſibus diſtantes; Thuriferarius autem accedet propius ad gradus in cornu Epiſtolæ, & ibi genuflectet incenſaturus, vt ſupra, Sanctiſſimum Sacramentum dum eleuabitur. Nunquam autem vnus duo intorticia ferat.

15 Sunt qui aſſerunt, Ceroferarios non debere miniſtrare Celebranti Capitulum cantanti cum candelabris, & candelis accenſis: nos ſupra ſecuti ſumus communiorem vſum Eccleſiarum, Vrbis teſte *P. Gauant. p. 2. ſect. 16. ſuorum Comment.* de Aſſiſtentia eorundem in Altaris incenſatione, vide ſupra *p. 3. c. 1. num. 14. & cap. 3. num. 4.*

V De

Digitized by Google

## *De modo incenſandi Altare ad Offertorium, in Miſſa.* Cap. VIII.

POſtquam incenſata fuerint Oblata, verba illa *Dirigatur Domine*, terminari debent ſimul cum incenſatione. iux. *Cær. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 23. vnde ſciendum eſt, quod cum ſint xxviiij. tractus thuribuli; quando ibi adſunt Reliquię, ſiue Imagines Sanctorum, alias xxv. ita conuenienter diſpenſari poterunt, videlicet: Ad Crucem, vel Sacramentum. *Dirigatur* ✠ *Domine* ✠ *Oratio mea.* Ad Reliquias in parte Euangelij, ſi aderint ✠ *Sicut* ✠ *incenſum*. Ad reliquias in parte Epiſtolę ✠ *in conſpectu tuo*. Quod ſi non adſint Reliquiæ. Ad Crucem, vel Sacramentum. *Dirigatur Domine, oratio mea* ✠ *Sicut incenſum* ✠ *in conſpectu tuo*. Ad Candelabra Epiſtolæ ✠ *Eleuatio* ✠ *manuum mearum*. Ad poſteriorem partem eiuſd. cornu. *Sacrificium* ✠ *Veſpert.* Ac ipſius Planitiem ✠ *Pone Domine* ✠ *cuſtodiam* ✠ *ori meo* ✠. Ad candelabra Euangelij ✠ *Et oſtium* ✠ *circuſtantiæ* ✠ *labijs meis*. Ad partem poſteriorem ✠ *vt non* ✠ *declinet*. Ad Planitiem ✠ *cor meum* ✠ *in verba* ✠ *malitiæ*. Ad frontem Altaris reliqua verba; *Ad excuſandas excuſationes in peccatis*.

2 Sunt autem, vt mox ſupra dictum fuit vigintinouem tractus Thuribuli in quacunque incenſatione Altaris, cum Reliquijs, ſiue imaginibus, alioquin xxv. quæ ita diſtribuuntur: Ad Crucem, vel Sacramentum 1. 2. 3. Ad Reliquias in parte Euangelij; ſi adſint 4. 5. ad Reliquias in parte Epiſtolæ, ſi adſint, (primùm ſcilicet ad propinquiores Cruci, mox ad remotiores vtriuſque partis) 6. 7. ad Candelabra Epiſtolæ 8. 9. 10. ad poſteriorempartem eiuſdem cornu Epiſtolæ inferiorem 11. ſuperiorem 12. ad ipſius planitiem à cornu ad medium 13. 14. 15. ad Candelabra Euangelij à propinquioribus Cruci ad remotiora 16, 17. 18. ad partem poſteriorem & inſe-

& inferiorem 19. ad ſuperiorem 20. ad Planitiem à cornu ad medium 21. 22. 23. ad frontem, à cornu ad medium 24. 25. 26. ad eandem frontem à medio ad cornu Epiſtolę 27. 28. 29. & hoc loco redditur Thuribulum, vt ſupra. Notandum prętерea, quod ad Incenſationem, quando expoſitum ſit Sanctiſſimum Sacramentum Celeberans, cum eſt impoſiturus incenſum, retrocedit aliquantum in cornu ferè Euangelij, ita vt nullo modo thus imponat in conſpectu illius.

## *De Organorum, & Muſices vſu.* *Cap. IX.*

CAueatur in primis, ne laſciuus ſit Organorum ſonus, aut profanus, aut ludicrus, neque inſtrumenta profana admitti debent.

2 In omnibus Dominicis, & Feſtis diebus maximè decet, vt tangantur Organa; in Aduentu verò (excepta Dominica tertia) & in Quadrageſima (excepta Dominica quarta) abſtinendum. In feria quinta Cœnæ Domini, & in Sabbato Sancto ad Miſſam tantum erunt tangenda.

3 Organa ita cuſtodiri, & curari debent, vt ſemper ſuis telis cooperta maneant, & non niſi cum fuerint adhibenda, aperiantur.

4 Ad Veſperas in fine cuiuſlibet Pſalmi Organa pulſantur regulariter, alternatim verò in Verſiculis Hymnorum, & Cantici *Magnificat*, ſed aduertendum eſt, quòd primus Verſus Hymni, & Cantici cantetur ſemper à Choro in tono ſuo intelligibili, non autem ab Organo, quod etiam ſeruari omnino debet in omni Verſu Hymnorum, quo genuflectendum eſt & per totum illud quaternarium, vt *Veni Creator ſpiritus*, *Aue maris ſtella*, & huiuſmodi, ac pari modo in Verſiculo *Gloria Patri*, etiam ſi Verſiculus immediatè præcedens fuerit decantatus à Choro. Quod etiam ſeruandum eſt in vltimis verſibus Hymnorum. Et ſemper quandocunque Organum

reſpondebit alternatim ad Hymnos, & Cantica, vel Pſalmos, Verſiculi, qui per Organum figurantur, debent in Choro à Cantoribus voce intelligibili pronunciari.

5 Ad *Te Deum laudamus*, ſimiliter adhibetur Organum diebus Feſtis, & Dominicis, ſed ad *Te ergo quaſumus*, quo genufleɛtendum eſt à Choro cantabitur.

6 In aliquibus Feſtis ſolemnioribus etiam ad Completorium, & ad Tertiam Organum admitti poteſt.

7 Ad Symbolum Apoſtolicum ſileant Organa. quod ſi numerus Fratrũ ſit modicus, poterit alternatim cantari à Choro, & Organo. ſed Organo ſonante, duo Cantores legant alta, & intelligibili voce, quæ à Choro non cantantur.

8 Muſicæ Cantorum modeſtæ ſint, non leues, neque Motecta admiſceantur, caueatur inſuper, ne ſacræ functiones Organorum ſonu nimis protrahantur, aut è contra nimis celeriter finiantur.

## *De Sacriſta, & eius officio.* *Cap. X.*

QVoniam, quæ de Sacriſta, & eius Officio habentur in Cæremoniali Epiſcoporum ſunt maximè vtilia, ea hoc loco non inutile exiſtimatum fuit, ad noſtrum Inſtitutum accommodare.

2 Sacriſta igitur in primis erit eligendus, qui, quantum fieri poteſt, ſit in Sacerdotali dignitate conſtitutus, & qui ad huiuſmodi officium fideliter exercendum, idoneus, & aptus merito cenſeri poſſit, cui coadiutores dabuntur, quot erunt neceſſarij pro ratione, & neceſſitate Eccleſiarum.

3 Eius præcipua cura erit, vt Paramenta ſacra, Vaſa, Libri, Cerei, Ornamenta, Inſtrumentaque pro vſu Eccleſiæ, & Altarium, ac reliqua præterea ſuppellex Eccleſiaſtica; ſana, integra, & munda conſeruetur; eaque cum attrita, aut lacera erunt, renouari, appararique procuret.

4 Sed in primis diligentiſſimè curabit, vt ea, quæ ad

Sacro-

Sacroſanctæ Euchariſtiæ cultum, & honorem ſpectant nitidè conſeruentur, locuſque ſeu Tabernaculum vbi cuſtoditur, diligentiſſimè, & fidis clauibus obſeretur. Lampades circa illam perpetuò ardeant, & vt ſupra renouetur.

5 Quod ad ſacrum Oleum pertinet, procuret illud ſingulis annis in maiori Hebdomada à Metropolitano accipi, & in vaſe ab alijs ſeparato, & loco decenti repoſito, intra burſam ſericam cuſtodiri.

6 Sacræ Sanctorum Reliquiæ fideliter, & honorificè aſſeruentur.

7 Aqua benedicta ſingulis ſaltem Hebdomadis renouetur, ac denique tota Eccleſia, & ſingula eius ſacella, & Altaria ſemper munda, & nitida ſint, ne per incuriam obſordeſcant. Et præterea curabit, vt ea pro temporum, dierumque Feſtorum qualitate decenter ornentur, ſplendidiùs autem, ac nitidiùs in Feſtis principalioribus Ordinis, & Titularibus. In alijs verò, quæ communiter ab omnibus celebrantur, ſatis erit, vt Altare maius præ cæteris ornatius appareat, adhibitis Thæcis Reliquiarum, Vaſculis florum, & huiuſmodi.

8 Ad eum etiam ſpectat; vt ab ipſa Sacriſtia laicorum, ſæcularium nimia frequentia, indecentes ſermones, iurgia, rixæ, actuſque profani remoueantur.

De

ſeruetur Cæremoniale Romanum lib. 1. cap. 12. ſed earum loco apponi poterunt faſciæ ex auro, vel ſerico elaboratæ ad eorum ornamentum. In ſolemnitatibus Altarium ; prædictum eorum ſcabellum erit aliquo panno coloris viridis, aut tapeto contegendum, & ad eorundem pariter ornatum, Vaſa, flores, & ſimulacra Angelorum adhibenda. Finitis autem Miſſis, Altaria quæcunque ſuis telis ſtragulis; coloris, quantum fieri poteſt, viridis, quotidie cooperiantur.

6 Amictus ſit longitudinis circiter duorum cubitorum, latitudine ſeſquicubitali, eius funiculi ita longi, vt ante pectus reuocari queant, & cum ipſis nodus fieri, in medio Crux conficiatur vnciarum duarum, longè ab extremitate digitis duobus in parte ſuperiori.

7 Ara ex lapide ſit longitudinis vnciarum viginti latitudinis 16.

8 Burſa Corporalium ſit quadrata, latè vndique pateat circiter dimidio cubito. intus ſerico, aut tela candida circumueſtiatur, Cruce, vel alia ſacra imagine in ſuperiori parte intexta.

9 Calix minor, ne ſit totus amplitudine in orbem ducta, vnciarum 14. altitudine duodecim.

10 Candelabra habeant baſim, vel rotundam, vel triangularem, & Crucis baſi conformē; & quæ ab Acolythis portantur ſint minora his, quæ in Altari collocantur. Erunt autem in Altari maiori ſex candelabra, non plura, aut ad minus quatuor, in reliquis duo.

11 Cingulum ſit longitudine cubitorum circiter ſeptem, ex lino, vel tenui canabe, capitibuſque eius flocci ex eiuſdem materia appendantur.

12 Conopæum Tabernaculi maioris erit, vel ſemper album, vel iuxta Feſtiuitatis colorem, ita latum, vt totum Tabernaculum tegat. De quo vide etiam ſuprà *Parte prima, cap. 1.*

13 Cor-

13 Corporale erit ex tela linea,& candida,ab oris autem acus ſimplici opere punctim ſolum retortum ſit, ad minus ſit longitudine vnciarum 30.latitudine totidem.

14 Crux in Altari collocanda imaginem Crucifixi habeat, & præalta emineat candelabris, collocabitur autem in eo etiam ſi Sanctiſſimum Sacramentum ibi conſeruaretur, (modo ibi celebretur Miſſa) vel etiam ſi tabula ibi fuerit picta, ſeu ſtatua Chriſti Crucifixi, vel demum etiam ſi Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti eam haberet, ſed altior eſſet.

15 Dalmatica longa eſſe poteſt cubitis duobus, & vncijs 16. lata ab humeris cubito vno, & vncijs circiter 4. ab extremis oris vndique patens cubitis circiter quinque.

16 Gradus in Altari minori vnus ſit ligneus longitudine Altari æquali, latitudine vnciarum 8. & totidem altitudine, in quo candelabra locanda erunt cum Cruce.

17 Hamulæ, ſiue Ampullæ ſint ex vitro, ſeu cryſtallo perlucido, cum operculo decenti, non ex alia materia.

18 Manipulus tres debet habere Cruces.

19 Manutergium pro Miſſa, erit ex lino, longitudine cubitali, latitudine ſeſquicubitali, ornatum decenter.

20 Mappæ ſuperioris Altaris è lino, ſiue canabe ſint albæ, nulloque alio colore intextæ, tantæ ſint longitudinis, vt ab vtroque Altaris latere profundius circiter tribus digitis, quam planum Bradellæ demiſſæ ſint. Tantæ verò latitudinis, vt totam Altaris menſam contegant: Inferiores verò totam ſaltem menſam cooperiant,

21 Mappæ pro Communione, ſi ſupra cancellos, vel ſcamna extendantur, horum longitudinem æquabunt, aliæ ſint longi-

longitudine trium cubitorum, latitudine duorum, capita eorum ornari poterunt.

22 Miſſalis ſignaculum conſtabit funiculis ſericeis duodecim longe, ita ductis, vt Miſſalis longitudinem vix quinque vncijs excedant.

23 Pallium Altaris paulò longius, quàm Altare patere debet, eoque altiùs, vt ab ima parte paululum ſub coronide ſcabelli, ſeu Bradellæ eiuſdem Altaris occultetur, à ſuperiori parte palmum à ſummo diſtante, lacinijs, quas frangias vocant, ornetur pro qualitate pallij, Crux, aut imago Sancti, cuius nomini dicatum eſt Altare, aut alia ſacra effigies in medio aſſuatur.

24 Patena inaurata vndique eſſe debet; vel ſi argentea ſit, ſaltem in interiori parte; labrum externum circulare ſit admodum tenue; mediam concauitatem habeat, quæ amplitudinem labri Calicis ferè adæquet, minor pateat amplè in orbem vncias 32.

25 Pyxis pro Sanctiſſimo Sacramento ſit argentea intus inaurata; pes ſit altitudine ſex vnciarum, fundum in Orbem tenuiter emineat; in ſummo paruula Crux emineat.

26 Planeta latè pateat cubitos circiter duos, longa tres, faſcia, quæ vel aſſui ſolet, vel diſtingui in ipſamet Planeta, vt columnæ ſpeciem à tergo, & Crucis ante pectus effingat, lata erit vncijs octo ad minimum, funiculi, ſiue lineæ ſericæ addantur in ea parte, qua pectus tegitur, ita oblongæ, vt reduci poſſint ante pectus ad firmandam Planetam, ne defluat à tergo.

27 Pluuiale erit longitudine cubitorum trium, & vnciarum circiter ſex, & pro ſemicirculi ratione latè patens: à parte anteriori à ſummo ad extremum hinc, & inde auriphrygio decoratur, ſicut & totum caputium laciniæ, ſiue frangiæ circa caputium debent eſſe latiores, quàm in oris.

28 Puluinar pro Miſſali plenum ſit, non pluma, ſed

lana ſolida, longè pateat cubito, & paulo amplius, latè circiter vncijs 18. ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis.

29 Purificatorium ſit è tela non nimis tenui, nec nimis craſſa, & ſimplici ſit acus opere confectum, latum vncijs 18. & non minus, longum totidem, in medio autem Crux conficiatur.

30 Stola erit longitudinis cubitorum 6. latitudinis vnciarum 6. laciniæ ſint vnciarum 3. tres Cruces quadratæ, ab omni parte vnciarum 3.

31 Superpelliceum ſit è tela tenui longitudinis ad media vſque crura, latitudinis in extrema parte cubitorum 13. ab humeris circiter 8. manicis ita oblongis, vt criſpatæ vſque ad ſummos digitos pertingant, quæ eſſe poſſunt cubitis circiter duobus, latè autem patentibus in orbem circiter cubitos 4. in ipſarum ore forma ſit rotunda, à pectore nullo modo ſciſſum, aut diſſectum.

32 Tela ſtragula Altaris ad illud operiendum finitis Miſſis, longitudine, ac latitudine ſit, quæ totam illius menſam contegat vndique, & paulo amplius, lacinijs breuioribus ab omni parte decore cincta, colore ſit viridis.

33 Thuribuli quadruplenium catenularum longitudo ſit cubitorum duorum, & vnciarum circiter duodecim.

34 Tintinabulum pro eleuatione ſi ſit muro appenſum, cordam ita longam habeat, vt Miniſter genuflexus in cornu Epiſtolæ illud commodè pulſare valeat.

35 Thu-



Cubiti, qui ex vncijs 24. conſtat, quarta pars vnciatim delineata hæc eſt.

35 Tunicella Subdiaconi, ſit ſimilis Dalmaticæ, exceptis manicis, quæ erunt anguſtiores.

36 Vas hoſtiarum ſit rotundum, latitudine vnciarum 4. hoſtijſque ſuperimponatur lamina plumbea rotunda ſerico veſtita.

37 Velum calicis ab omni parte cubito, & vncijs 12. pateat, ſic & velum, quo vtitur Subdiaconus in Miſſa ſolemni ſit longitudine ſex cubitorum.

38 Vmbella, quæ ſupra Altare ponitur, ita pateat, vt totum Altare, & Celebrantem contegat.

## *De mundanda aliqua ſupellectili Eccleſiaſtica. Cap. XII.*

PYxis intra Miſſam purificanda, ante Calicis purificationem purificabitur, hoc modo: fragmenta omnia in eius fundo adhærentia cum indice manus dexteræ diligentiſſimè colligantur in vnum, & ſumi poterunt cum eodem indice, admota ſcilicet eidem lingua: vel ad labium Pyxidis dicta fragmenta deducantur, & os eidem admoueatur, ita vt nullum remaneat fragmentum, deinde infundi poteſt paululum vini, quo intra Pyxidem circumacto, & tergente indice, tota pars interior abſtergatur, quo hauſto ſiccabitur Pyxis interior vndequaque Purificatorio, non debet deinde tegi Pyxis velo, ſed panno lineo. Reliqua fiunt de more pro Calicis purificatione.

2 Calices ſemel in Anno mundari poterunt à ſordibus, adhibito lexiuio calido, & ſmegmate, eos tergendo, deinde aqua pura eos iterum lauando, mox ſoli exponendo,

ita vt exſiccentur, & demum panno lineo albo abſtergantur.

3 Ampullæ vitreæ, ſi ſordidæ fuerint, curetur, vt ebuliant in vaſe cum lexiuio.

4 Corporalia ſciſſuris, & fragmentis quæ ſuperſunt Hoſtijs aptatis poterunt à nigredine mundari, quam contrahere ſolent ex frictione Patenæ, & Calicis in Altari, vel præſtantius id fiet mica, ſeu medulla panis ordinarij adhibita, & ſi paucitas ſit alicubi Corporalium ex paupertate loci poterunt Corporalia inuerti modo ex vna, modo ex altera parte, abſque ſcrupulo, ex *Poſſeu. de officio cur. capite 2. numer.* 34.

5 Tobaleæ, & alia Eccleſiaſtica ſuppellex linea à maleolentia humiditatis defendi, ſi radices liliorum cæruleorum mense Ianuario, luna deficiente collectorum, vino calido lotæ, & ad vmbram exſiccatæ, poſtea fruſtratim conciſæ inter eas miſceantur. Prius tamen prædictæ Tobaleæ, vel alia huiuſmodi erunt ſoli, & vento exponenda, donec fœtorem illum reliquerint.

6 A muribus præterea purgabuntur loca Sacriſtiæ, ſi in locis, vbi diſcurrant ſcutelæ aliquæ aqua plenæ diſponantur. Hæc idem Poſſeu. loco cit. quæ hoc loco addere non viſum fuit inutile.

## *De Proceſſionibus. Cap. XIII.*

QVando habendæ ſint ſacræ ſupplicationes, ſeu Proceſſiones, hora competenti dato aliquo ſigno non longo Campanulç, omnes conueniant, & paretur Crucifer, & Ceroferarij, qui medium tenentes Cruciferum, (qui congruit, vt in veſte ſit Subdiaconali) ante alios Fratres ibunt cum Candelabris accenſis, quod ſi contigerit per locum anguſtum tranſire, Ceroferarij primum, mox deferens Crucem tranſibit, quæ Crux Velum habeat, aut Pallium pendens ab ea, vt *Sacra Congregatio*

*gatio Rit.* 14. *Ian.* 1617. & Crucifixus terga Fratribus vertat in Proceſſione; bini omnes, vt moris eſt, incedent debita cum modeſtia, & bene compoſiti, & omnino vniformes, & ſi præcedentium numerus fuerit impar, duo vltimi medium habebunt ſuperiorem, vel alium antiquiorem, & in Circulo Proceſſionis rectius proceditur à latere Euangelij ad latus Epiſtolæ; in fine autem Proceſſionis Sacramenti idem Crucifer deponit Crucem in loco decenti, & Ceroferarij Candelabra in Credentia, & cum alijs genuflectunt.

2 Cum ante Altare in quo ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti tranſeundum erit, primò Crucem deferens cum Ceroferarijs, tum reliqui, quilibet cum ſuo collaterali genuflectent, ſimul ſe inclinantes, ſimul pariter ſurgentes. Quod pariter obſeruabunt ſi contingat tranſire ante Altare, in quo eleuetur, vel miniſtretur Sacramentum. Prouidere tamen debent Sacriſtæ, ne tunc in ijs locis Miſſæ celebrentur.

3 Quando autem in Proceſſione defertur Sanctiſſimum Sacramentum, Celebrans, & Miniſtri omnes, necnon & Thuriferarij, ſi dum tranſeunt eleuetur in aliquo Altari Hoſtia Sacra, iter proſequantur, & Miniſterium ſuum; & tunc ſimiliter Sacriſta præuidere debet, ne (ſi fieri poſſit) Miſſæ celebrentur, vbi proceſſionaliter tranſeundum eſt, veruntamen, ſi ibi celebrare opporteat, dum Hoſtia eleuatur, Miniſter tintinnabulo non vtatur.

4 Deferens autem Euchariſtiam pro communicandis, vel eam transferendo de loco ad locum, nihil aliud aduertat, ſed ſolum attendat ſibi; quod pariter præſtabunt Acolythi deferentes cereos accenſos, nihil aliud omnino facientes.

5 Candelæ in Proceſſionibus ita geſtandæ ſunt, vt qui adeſt à dextris, in dextera, qui verò à ſiniſtris in ſiniſtra manu eas habeat.

6 Pro-

dus. Diaconus autem cantato Euangelio, ſi folium vertendum ſit (quia principium Euangelij eſt in præcedenti folio, quod debet oſculari Sacerdos) illud vertat ſtatim ac finierit Euangelium, & deinde recipit Thuribulum de manu Cęremoniarij (ſi adſit.) Dextera, & ſiniſtra, quæ attendenda eſt in incenſatione oblatorum; eſt dextera, vel ſiniſtra Celebrantis, non autem Altaris, qui Celebrans, quando expoſitum ſit Sanctiſſ. Sacramentum, ibi incenſatur, vbi tunc lauat manus, hoc eſt extra Altare in cornu Epiſtolæ verſa facie ad populnm, & à Diacono contra ipſum ſtante in plano.

11 Illud præterea videtur adnotandum circa incenſationem Chori in Veſp. quod, ſcilicet præſente P. Generali, vel etiam Prouinciali in ſua Prouincia Celebrans (ſi ita præſtare videbitur) poterit apud Altare incenſari prout in Miſſa, deinde ad ſedem ſuam reuertetur, & reliqua fient, vt ſupra. Sed regulariter primus omnium, quicunque ille ſit, præſente quolibet, incenſatur Celebrans. *Cær. Ep. l.* 1. *c.* 23. *& lib.* 2. *c.* 1 2. *&* 3. ſicuti etiam regulariter Celebrans, præſente Generali, ſeu Prouinciali non erit niſi duplici ductu incenſandus, vt *ex Gau p.* 2. 1. 8.

12 Aſſiſtens, quando datur in Miſsa, (non detur autem, niſi Prælatis, & nouis Sacerdotibus primò:) aduertat, ne Pluuiale accipiat priuſquam Celebrans ſit caſula indutus, & ad Altare procedens ad dexteram Diaconi incedat, vel à dextris Celebrantis ad cuius ſiniſtram Diaconus eat. Dum Subdiaconus cantato Euangelio librum Celebranti oſculandum porrigit, ipſe adiuuat, manum apponendo, deinde retrahit ſe non cum libro ad cornu Euangelij. Dum Celebrans thurificat Altare, & Celebrante redeunte ad ſedendũ, ipſe eum ſequitur, & apud eum manet. Cum aſcendit Celebrans ad Altare, ipſe à ſiniſtris illum gradum Altaris aſcẽdentem adiuuat. Et tandem, data pace in Choro (ſi ab eo danda ſit,) vt ſupra *p.* 2. *c.* 11. prout regulariter ab eo datur in Choro, accepta prius à Celebrante, vt ait *Craſſ. l.* 1. *cap.* 50. dat eam vltimo loco Cæremoniario, qui eum duxit, & redit

ad

ad Altare, vbi transfert librum à cornu Euangelij ad cornu Epiſtolæ, (niſi iam tranſlatus eſſet à Diacono.) Ita *Carem. Epiſc.* & reliqua, vide ſupra *p.2. c.10.* Vbi regula pacis dandę eſt: quod per oſculum à Subdiacono detur primo cuiuſque ordinis. Per inſtrumentum verò datur laicis ſęcularibus, nimirum ab eodem Subdiacono ijs laicis, quos Diaconus thurificauit, cæteris ab Acolytho.

13 Cum Miniſtri ad Altare genuflectunt, non tangunt illud, ſed genuflectunt manibus iunctis.

14 Ad eleuationem Sanctiſſimi Sacramenti, quatuor, vel duo intorticia iuxta Feſti, & Celebrantis qualitatem, à quatuor, vel duobus Acolythis, circa medium Præfationis accenſa deferentur, & paulo ante Canonem exibunt è Choro bini, primò minores, deinde maiores, præcedente Thuriferario cum Thuribulo, & Nauicula, hic per latus Euangelij, illi hinc inde per vtrumque latus; Cumque peruenerint in planum Capellæ expectantes ſe inuicem, & quaſi rectam lineam formantes medium Thuriferarium habentes, omnes ſimul genuflexionem facient, ſurgent, & reuerentia mutuò facta, iterum, genuflectent ambobus genibus, æqualem inter ſe diſtantiam ſeruantes, & ab Altari quatuor ferè paſſibus diſtantes; Thuriferarius autem accedet propius ad gradus in cornu Epiſtolæ, & ibi genuflectet incenſaturus, vt ſupra, Sanctiſſimum Sacramentum dum eleuabitur. Nunquam autem vnus duo intorticia ferat.

15 Sunt qui aſſerunt, Ceroferarios non debere miniſtrare Celebranti Capitulum cantanti cum candelabris, & candelis accenſis: nos ſupra ſecuti ſumus communiorem vſum Eccleſiarum, Vrbis teſte *P. Gauant. p. 2. ſect. 16. ſuorum Cōment.* de Aſſiſtentia eorundem in Altaris incenſatione, vide ſupra *p. 3. c. 1. num. 14. & cap. 3. num. 4.*



Digitized by Google

## *De modo incenſandi Altare ad Offertorium, in Miſſa.* Cap. VIII.

POſtquam incenſata fuerint Oblata, verba illa *Dirigatur Domine*, terminari debent ſimul cum incenſatione. iux. *Cær. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 23. vnde ſciendum eſt, quod cum ſint xxviiij. tractus thuribuli; quando ibi adſunt Reliquię, ſiue Imagines Sanctorum, alias xxv. ita conuenienter diſpenſari poterunt, videlicet: Ad Crucem, vel Sacramentum. *Dirigatur* ✠ *Domine* ✠ *Oratio mea*. Ad Reliquias in parte Euangelij, ſi aderint ✠ *Sicut* ✠ *incenſum*. Ad reliquias in parte Epiſtolę ✠ *in conſpectu tuo*. Quod ſi non adſint Reliquiæ. Ad Crucem, vel Sacramentum. *Dirigatur Domine, oratio mea* ✠ *Sicut incenſum* ✠ *in conſpectu tuo*. Ad Candelabra Epiſtolæ ✠ *Eleuatio* ✠ *manuum mearum*. Ad poſteriorem partem eiuſd. cornu. *Sacrificium* ✠ *Veſpert.* Ac ipſius Planitiem ✠ *Pone Domine* ✠ *cuſtodiam* ✠ *ori meo* ✠. Ad candelabra Euangelij ✠ *Et oſtium* ✠ *circuſtantiæ* ✠ *labijs meis*. Ad partem poſteriorem ✠ *vt non* ✠ *declinet*. Ad Planitiem ✠ *cor meum* ✠ *in verba* ✠ *malitiæ*. Ad frontem Altaris reliqua verba; *Ad excuſandas excuſationes in peccatis*.

2 Sunt autem, vt mox ſupra dictum fuit vigintinouem tractus Thuribuli in quacunque incenſatione Altaris, cum Reliquijs, ſiue imaginibus, alioquin xxv. quæ ita diſtribuuntur: Ad Crucem, vel Sacramentum 1. 2. 3. Ad Reliquias in parte Euangelij; ſi adſint 4. 5. ad Reliquias in parte Epiſtolæ, ſi adſint, (primùm ſcilicet ad propinquiores Cruci, mox ad remotiores vtriuſque partis) 6. 7. ad Candelabra Epiſtolæ 8. 9. 10. ad poſteriorem partem eiuſdem cornu Epiſtolæ inferiorem 11. ſuperiorem 12. ad ipſius planitiem à cornu ad medium 13. 14. 15. ad Candelabra Euangelij à propinquioribus Cruci ad remotiora 16. 17. 18. ad partem poſteriorem

& infe-

& inferiorem 19. ad ſuperiorem 20. ad Planitiem à cornu ad medium 21. 22. 23. ad frontem, à cornu ad medium 24. 25. 26. ad eandem frontem à medio ad cornu Epiſtolę 27. 28. 29. & hoc loco redditur Thuribulum, vt ſupra. Notandum prętcrea, quod ad Incenſationem, quando expoſitum ſit Sanctiſſimum Sacramentum Celeberans, cum eſt impoſiturus incenſum, retrocedit aliquantum in cornu ferè Euangelij, ita vt nullo modo thus imponat in conſpectu illius.

## *De Organorum, & Muſices vſu.* *Cap. IX.*

CAueatur in primis, ne laſciuus ſit Organorum ſonus, aut profanus, aut ludicrus, neque inſtrumenta profana admitti debent.

2 In omnibus Dominicis, & Feſtis diebus maximè decet, vt tangantur Organa; in Aduentu verò (excepta Dominica tertia) & in Quadrageſima (excepta Dominica quarta) abſtinendum. In feria quinta Cœnæ Domini, & in Sabbato Sancto ad Miſſam tantum erunt tangenda.

3 Organa ita cuſtodiri, & curari debent, vt ſemper ſuis telis cooperta maneant, & non niſi cum fuerint adhibenda, aperiantur.

4 Ad Veſperas in fine cuiuſlibet Pſalmi Organa pulſantur regulariter, alternatim verò in Verſiculis Hymnorum, & Cantici *Magnificat*, ſed aduertendum eſt, quòd primus Verſus Hymni, & Cantici cantetur ſemper à Choro in tono ſuo intelligibili; non autem ab Organo, quod etiam ſeruari omnino debet in omni Verſu Hymnorum, quo genuflectendum eſt & per totum illud quaternarium, vt *Veni Creator ſpiritus*, *Aue maris ſtella*, & huiuſmodi, ac pari modo in Verſiculo *Gloria Patri*, etiam ſi Verſiculus immediatè præcedens fuerit decantatus à Choro. Quod etiam ſeruandum eſt in vltimis verſibus Hymnorum. Et ſemper quandocunque Organum

reſpondebit alternatim ad Hymnos, & Cantica, vel Pſalmos, Verſiculi, qui per Organum figurantur, debent in Choro à Cantoribus voce intelligibili pronunciari.

5 Ad *Te Deum laudamus*, ſimiliter adhibetur Organum diebus Feſtis, & Dominicis, ſed ad *Te ergo quaſumus*, quo genufleſtendum eſt à Choro cantabitur.

6 In aliquibus Feſtis ſolemnioribus etiam ad Completorium, & ad Tertiam Organum admitti poteſt.

7 Ad Symbolum Apoſtolicum ſileant Organa. quod ſi numerus Fratrũ ſit modicus, poterit alternatim cantari à Choro, & Organo. ſed Organo ſonante, duo Cantores legant alta, & intelligibili voce, quæ à Choro non cantantur.

8 Muſicæ Cantorum modeſtæ ſint, non leues, neque Motecta admiſceantur, caueatur inſuper, ne ſacræ functiones Organorum ſonu nimis protrahantur, aut è contra nimis celeriter finiantur.

## *De Sacriſta, & eius officio. Cap. X.*

QVoniam, quæ de Sacriſta, & eius Officio habentur in Cæremoniali Epiſcoporum ſunt maximè vtilia, ea hoc loco non inutile exiſtimatum fuit, ad noſtrum Inſtitutum accommodare.

2 Sacriſta igitur in primis erit eligendus, qui, quantum fieri poteſt, ſit in Sacerdotali dignitate conſtitutus, & qui ad huiuſmodi officium fideliter exercendum, idoneus, & aptus merito cenſeri poſſit, cui coadiutores dabuntur, quot erunt neceſſarij pro ratione, & neceſſitate Eccleſiarum.

3 Eius præcipua cura erit, vt Paramenta ſacra, Vaſa, Libri, Cerei, Ornamenta, Inſtrumentaque pro vſu Eccleſiæ, & Altarium, ac reliqua præterea ſuppellex Eccleſiaſtica, ſana, integra, & munda conſeruetur, eaque cum attrita, aut lacera erunt, renouari, appararique procuret.

4 Sed in primis diligentiſſimè curabit, vt ea, quæ ad

Sacro-

Sacroſanctæ Euchariſtiæ cultum, & honorem ſpectant nitidè conſeruentur, locuſque ſeu Tabernaculum vbi cuſtoditur, diligentiſſimè, & fidis clauibus obſeretur. Lampades circa illam perpetuò ardeant, & vt ſupra renouetur.

5 Quod ad ſacrum Oleum pertinet, procuret illud ſingulis annis in maiori Hebdomada à Metropolitano accipi, & in vaſe ab alijs ſeparato, & loco decenti repoſito, intra burſam ſericam cuſtodiri.

6 Sacræ Sanctorum Reliquiæ fideliter, & honorificè aſſeruentur.

7 Aqua benedicta ſingulis ſaltem Hebdomadis renouetur, ac denique tota Eccleſia, & ſingula eius ſacella, & Altaria ſemper munda, & nitida ſint, ne per incuriam obſordeſcant. Et præterea curabit, vt ea pro temporum, dierumque Feſtorum qualitate decenter ornentur, ſplendidiùs autem, ac nitidiùs in Feſtis principalioribus Ordinis, & Titularibus. In alijs verò, quæ communiter ab omnibus celebrantur, ſatis erit, vt Altare maius præ cæteris ornatius appareat, adhibitis Thecis Reliquiarum, Vaſculis florum, & huiuſmodi.

8 Ad eum etiam ſpectat; vt ab ipſa Sacriſtia laicorum, ſæcularium nimia frequentia, indecentes ſermones, iurgia, rixæ, actuſque profani remoueantur.

Dr

ſeruetur Cæremoniale Romanum lib. 1. cap. 12. ſed earum loco apponi poterunt faſciæ ex auro, vel ſerico elaboratæ ad eorum ornamentum. In ſolemnitatibus Altarium prædictum eorum ſcabellum erit aliquo panno coloris viridis, aut tapeto contegendum, & ad eorundem pariter ornatum, Vaſa, flores, & ſimulacra Angelorum adhibenda. Finitis autem Miſſis, Altaria quæcunque ſuis telis ſtragulis, coloris, quantum fieri poteſt, viridis, quotidie cooperiantur.

6 Amictus ſit longitudinis circiter duorum cubitorum, latitudine ſeſquicubitali, eius funiculi ita longi, vt ante pectus reuocari queant, & cum ipſis nodus fieri, in medio Crux conficiatur vnciarum duarum, longè ab extremitate digitis duobus in parte ſuperiori.

7 Ara ex lapide ſit longitudinis vnciarum viginti latitudinis 16.

8 Burſa Corporalium ſit quadrata, latę vndique pateat circiter dimidio cubito. intus ſerico, aut tela candida circumueſtiatur, Cruce, vel alia ſacra imagine in ſuperiori parte intexta.

9 Calix minor, ne ſit totus amplitudine in orbem ducta, vnciarum 14. altitudine duodecim.

10 Candelabra habeant baſim, vel rotundam, vel triangularem, & Crucis baſi conformē; & quæ ab Acolythis portantur ſint minora his, quæ in Altari collocantur. Erunt autem in Altari maiori ſex candelabra, non plura, aut ad minus quatuor, in reliquis duo.

11 Cingulum ſit longitudine cubitorum circiter ſeptem, ex lino, vel tenui canabe, capitibuſque eius flocci ex eiuſdem materia appendantur.

12 Conopæum Tabernaculi maioris erit, vel ſemper album, vel iuxta Feſtiuitatis colorem, ita latum, vt totum Tabernaculum tegat. De quo vide etiam ſuprà *Parte prima, cap. 1.*

13 Cor-

13 Corporale erit ex tela linea,& candida,ab oris autem acus ſimplici opere punctim ſolum retortum ſit, ad minus ſit longitudine vnciarum 30. latitudine totidem.

14 Crux in Altari collocanda imaginem Crucifixi habeat, & præalta emineat candelabris, collocabitur autem in eo etiam ſi Sanctiſſimum Sacramentum ibi conſeruaretur, (modo ibi celebretur Miſſa) vel etiam ſi tabula ibi fuerit picta, ſeu ſtatua Chriſti Crucifixi, vel demum etiam ſi Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti eam haberet, ſed altior eſſet.

15 Dalmatica longa eſſe poteſt cubitis duobus, & vncijs 16. lata ab humeris cubito vno, & vncijs circiter 4. ab extremis oris vndique patens cubitis circiter quinque.

16 Gradus in Altari minori vnus ſit ligneus longitudine Altari æquali, latitudine vnciarum 8. & totidem altitudine, in quo candelabra locanda erunt cum Cruce.

17 Hamulæ, ſiue Ampullæ ſint ex vitro, ſeu cryſtallo perlucido, cum operculo decenti, non ex alia materia.

18 Manipulus tres debet habere Cruces.

19 Manutergium pro Miſſa, erit ex lino, longitudine cubitali, latitudine ſeſquicubitali, ornatum decenter.

20 Mappæ ſuperioris Altaris è lino, ſiue canabe ſint albæ, nulloque alio colore intextæ, tantæ ſint longitudinis, vt ab vtroque Altaris latere profundius circiter tribus digitis, quam planum Bradellæ demiſſæ ſint. Tantæ verò latitudinis, vt totam Altaris menſam contegant: Inferiores verò totam ſaltem menſam cooperiant,

21 Mappæ pro Communione, ſi ſupra cancellos, vel ſcamna extendantur, horum longitudinem æquabunt, aliæ ſint longi-

longitudine trium cubitorum; latitudine duorum, capita eorum ornari poterunt.

22 Miſſalis ſignaculum conſtabit funiculis ſericeis duodecim longe, ita ductis, vt Miſſalis longitudinem vix quinque vncijs excedant.

23 Pallium Altaris paulò longius, quàm Altare patere debet, eoque altiùs, vt ab ima parte paululum ſub coronide ſcabelli, ſeu Bradellæ eiuſdem Altaris occultetur, à ſuperiori parte palmum à ſummo diſtante, lacinijs, quas frangias vocant, ornetur pro qualitate pallij, Crux, aut imago Sancti, cuius nomini dicatum eſt Altare, aut alia ſacra effigies in medio aſſuatur.

24 Patena inaurata vndique eſſe debet; vel ſi argentea ſit, ſaltem in interiori parte; labrum externum circulare ſit admodum tenue; mediam concauitatem habeat, quæ amplitudinem labri Calicis ferè adæquet, minor pateat amplè in orbem vncias 32.

25 Pyxis pro Sanctiſſimo Sacramento ſit argentea intus inaurata; pes ſit altitudine ſex vnciarum, fundum in Orbem tenuiter emineat; in ſummo paruula Crux emineat.

26 Planeta latè pateat cubitos circiter duos, longa tres, faſcia, quæ vel aſſui ſolet, vel diſtingui in ipſamet Planeta, vt columnæ ſpeciem à tergo, & Crucis ante pectus effingat, lata erit vncijs octo ad minimum, funiculi, ſiue lineæ ſericæ addantur in ea parte, qua pectus tegitur, ita oblongæ, vt reduci poſſint ante pectus ad firmandam Planetam, ne defluat à tergo.

27 Pluuiale erit longitudine cubitorum trium, & vnciarum circiter ſex, & pro ſemicirculi ratione latè patens: à parte anteriori à ſummo ad extremum hinc, & inde auriphrygio decoratur, ſicut & totum caputium laciniæ, ſiue frangiæ circa caputium debent eſſe latiores, quàm in oris.

28 Puluinar pro Miſſali plenum ſit, non pluma, ſed

X lana

lana ſolida, longè pateat cubito, & paulo amplius, latè circiter vncijs 18. ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis.

29 Purificatorium ſit è tela non nimis tenui, nec nimis craſſa, & ſimplici ſit acus opere confectum, latum vncijs 18. & non minus, longum totidem, in medio autem Crux conficiatur.

30 Stola erit longitudinis cubitorum 6. latitudinis vnciarum 6. laciniæ ſint vnciarum 3. tres Cruces quadratæ, ab omni parte vnciarum 3.


31 Superpelliceum ſit è tela tenui longitudinis ad media vſque crura, latitudinis in extrema parte cubitorum 13. ab humeris circiter 8. manicis ita oblongis, vt criſpatæ vſque ad ſummos digitos pertingant, quæ eſſe poſſunt cubitis circiter duobus, latè autem patentibus in orbem circiter cubitos 4. in ipſarum ore forma ſit rotunda, à pectore nullo modo ſciſſum, aut diſſectum.

32 Tela ſtragula Altaris ad illud operiendum finitis Miſſis, longitudine, ac latitudine ſit, quæ totam illius menſam contegat vndique, & paulo amplius, lacinijs breuioribus ab omni parte decore cincta, colore ſit viridis.

33 Thuribuli quadruplenium catenularum longitudo ſit cubitorum duorum, & vnciarum circiter duodecim.

34 Tintinabulum pro eleuatione ſi ſit muro appenſum, cordam ita longam habeat, vt Miniſter genuflexus in cornu Epiſtolæ illud commodè pulſare valeat.

35 Ti-



*Cubiti, qui ex vncijs 24. conſtat, quarta pars vnciatim delineata hæc eſt.*

35 Tunicella Subdiaconi, ſit ſimilis Dalmaticæ, exceptis manicis, quæ erunt anguſtiores.

36 Vas hoſtiarum ſit rotundum, latitudine vnciarum 4. hoſtijſque ſuperimponatur lamina plumbea rotunda ſerico veſtita.

37 Velum calicis ab omni parte cubito, & vncijs 12. pateat, ſic & velum, quo vtitur Subdiaconus in Miſſa ſolemni ſit longitudine ſex cubitorum.

38 Vmbella, quæ ſupra Altare ponitur, ita pateat, vt totum Altare, & Celebrantem contegat.

## *De mundanda aliqua ſupellectili Eccleſiaſtica. Cap. XII.*

PYxis intra Miſſam purificanda, ante Calicis purificationem purificabitur, hoc modo: fragmenta omnia in eius fundo adhærentia cum indice manus dexteræ diligentiſſimè colligantur in vnum, & ſumi poterunt cum eodem indice, admota ſcilicet eidem lingua: vel ad labium Pyxidis dicta fragmenta deducantur, & os eidem admoueatur, ita vt nullum remaneat fragmentum, deinde infundi poteſt paululum vini, quo intra Pyxidem circumacto, & tergente indice, tota pars interior abſtergatur, quo hauſto ſiccabitur Pyxis interior vndequaque Purificatorio, non debet deinde tegi Pyxis velo, ſed panno lineo. Reliqua fiunt de more pro Calicis purificatione.

2 Calices ſemel in Anno mundari poterunt à ſordibus, adhibito lexiuio calido, & ſmegmate, eos tergendo, deinde aqua pura eos iterum lauando, mox ſoli exponendo,

 ita

*gatio Rit.* 14. *Ian.* 1617. & Crucifixus terga Fratribus vertat in Proceſſione, bini omnes, vt moris eſt, incedent debita cum modeſtia, & bene compoſiti, & omnino vniformes, & ſi præcedentium numerus fuerit impar, duo vltimi medium habebunt ſuperiorem, vel alium antiquiorem, & in Circulo Proceſſionis rectius proceditur à latere Euangelij ad latus Epiſtolæ; in fine autem Proceſſionis Sacramenti idem Crucifer deponit Crucem in loco decenti, & Ceroferarij Candelabra in Credentia, & cum alijs genuflectunt.

2 Cum ante Altare in quo ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti tranſeundum erit, primò Crucem deferens cum Ceroferarijs, tum reliqui, quilibet cum ſuo collaterali genuflectent, ſimul ſe inclinantes, ſimul pariter ſurgentes. Quod pariter obſeruabunt ſi contingat tranſire ante Altare, in quo eleuetur, vel miniſtretur Sacramentum. Prouidere tamen debent Sacriſtæ, ne tunc in ijs locis Miſſæ celebrentur.

3 Quando autem in Proceſſione defertur Sanctiſſimum Sacramentum, Celebrans, & Miniſtri omnes, necnon & Thuriferarij, ſi dum tranſeunt eleuetur in aliquo Altari Hoſtia Sacra, iter proſequantur, & Miniſterium ſuum; & tunc ſimiliter Sacriſta præuidere debet, ne (ſi fieri poſſit) Miſſæ celebrentur, vbi proceſſionaliter tranſeundum eſt, veruntamen, ſi ibi celebrare opporteat, dum Hoſtia eleuatur, Miniſter tintinnabulo non vtatur.

4 Deferens autem Euchariſtiam pro communicandis, vel eam transferendo de loco ad locum, nihil aliud aduertat, ſed ſolum attendat ſibi; quod pariter præſtabunt Acolythi deferentes cereos accenſos, nihil aliud omnino facientes.

5 Candelæ in Proceſſionibus ita geſtandæ ſunt, vt qui ad eſt à dextris, in dextera, qui verò à ſiniſtris in ſiniſtra manu eas habeat.

6 Pro-

Digitized by Google

6 Propè Sanctiſſimum Sacramentum quatuor ſaltem intorticia deferantur, & deferri debent à quatuor ex antiquioribus Fratribus illa, vt ſupra geſtantes.

7 Dum cantantur Hymni, vel Pſalmi, attendatur, vt debito ſeruato Choro decantentur abſque vlla confuſione, aures ſibi inuicem præbendo, ne quid inſoni reſiliat: quod ſi Litaniæ cantentur, expediet, vt circa medium Proceſſionis à duobus cantentur, reliquis omnibus reſpondentibus. Et in Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti ea, quæ ab alijs cantantur dicat Celebrans ſubmiſſa voce cum ſuis Miniſtris.

8 Si Clerus, vel alius Ordo ad Eccleſias noſtras proceſſionaliter venerit, accenduntur in Altari candelæ, & pulſantur Campanæ, & aliquis Cotta indutus prope labrum, ſeu Vas aquæ benedictæ in ingreſſu Eccleſiæ poſitum ſtat cum Aſperſorio, ſingillatim Clerum aſpergendo, atque etiam decens erit, ſi terminetur Proceſſio in Eccleſijs noſtris, quod Epiſcopum, ſeu Capitulum, vel Vicarium generalem, aliqui Patres ex antiquioribus, & dignioribus reuerenter recipiant.

9 Cum verò ſit Proceſſio Corporis Chriſti, quæ ante Eccleſias noſtras tranſeat, conuenit, vt præter alios conſuetos apparatus etiam Altare conſtruatur.

10 Cætera, quæ dici poſſent de Proceſſionibus in particulari Sanctiſſimi Sacramenti, ſupra in proprijs locis dicta ſunt, vnum reſtat admonendum, vt Sacerdos in prædictis Proceſſionibus, in quibus Sanctiſſimum Chriſti corpus defertur, ita Sacram Hoſtiam in Tabernaculo in Proceſſione deferendo reponat, vt per vitrum, ſiue Chryſtallum, quo ipſum Tabernaculum circumſeptum eſſe debet exterius adorantibus appareat, imagine hoſtiæ terga Celebranti vertente, & cooperiatur velo donec ab Altari remoueatur. Ita *Rituale Romanum*. In fine autem Proceſſionum Sanctiſſimi Sacramenti, ſi Celebrans daturus ſit benedictionem (quæ vnica erit) cum ipſo Sacramento, non erit velum admouendum

dum ab eius humeris, ſed ad Altare aſcendens genuflectit; & ipſemet, Diacono minimè adiuuante, accipit velatis manibus Oſtenſorium, & cum eo, facie ad Populum verſa, ſemel, vt ſupra benedicit, nihil dicens, & gyrum perficiens reuerenter reponit. tum genuflexione facta deſcendit, & velum tunc amouet Subdiaconus: Diacono interim aſcendente, qui genuflexione facta illud reponit loco ſuo contectum velo, vel ſi ibi expoſitum eſſe debeat per aliquod ſpatium temporis; in loco altiori collocat, & tunc crux erit remouenda ab Altari.

11 Quo ad diſciplinam in Proceſſionibus ſeruandam, ſciendum eſt, quod in huiuſmodi Proceſſionibus, tam intra, quàm extra Clauſtra, fratres modeſtè, reuerenter, grauiter, ac deuotè ſe gerere debent, bini, & bini ſuo loco procedentes, remoto vago oculorum aſpectu, riſu, mutuoque colloquio.

## *De Proceſſionibus, quæ ſunt Inſtituti noſtri. Et primò de ea, quæ Cordigerorum eſt.* *Cap. XIV.*

DE Proceſſione Cordigerorum, ſemel quolibet menſe, & die Dominico celebranda, illud tantum videtur addendum, quod in ea cantetur Hymnus *Decus morum*, & ſi longior fuerit via, Verſus repetantur quoties opus fuerit, & ſemper ad Altare Sancti Franciſci terminetur Proceſſio, ſiue ante Miſſam (vt multis in locis) fiat, ſiue poſt Veſperas.

2 Cum ad prædictum Altare peruenerint Fratres, à Vicario intonetur Antiphona *Salue ſancte Pater*, & in fine Cantores duo ſolitum Verſum cantabũt *Ora pro nobis B. Pater Franciſce*. Orationem dicat Sacerdos *Deus qui Eccleſiam tuam B. Patris Franciſci, &c.* & in fine benedicatur Populus cum benedictione Reliquiæ, quæ erit à Celebrante geſtanda, de

Diuo

Diuo Franciſco (ſi habetur) vel alia authentica, & probata cum velo ſuperpoſito: qua in re ſtandum erit conſuetudini laudabili.

3 Vbi tandem fieri ſolet Proceſſio Generalis eorundem Cordigerorum ſemel in anno, ea ſolemnitate celebretur, quam poſtulat conſuetudo locorum.

*De Receptione Prælati in loco ſuæ Iuriſdictionis ad Eccleſias noſtras venientis.*

*Cap. XV.*

SI Cardinalis, Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus ad aliquam ex noſtris Eccleſijs venerit, quæ in loco eorum reſidentiæ, vel Iuriſdictionis ſit, Altare Paramentis coloris tempori congruentis decenter ornetur; ſupra verò Altare ſex cerei accendantur, ante Altare in plano intra presbyterium ſit aliquod genuflexorium cum ſuo tapete, & puluinis.

2 Superior localis cum alijs Fratribus ad fores Eccleſiæ expectabunt, & Acolythus, aliquo ſuperpelliceo indutus cum vaſe aquæ benedictæ propè Superiorem à ſiniſtris eius à tergo ſe ſiſtat. Cum venerit Prælatus Aſperſorium cum oſculis Prelato ipſe Superior porrigat, omneſque genuflexi ab eo aſpergantur, omneſque Fratres hinc inde in duas alas iam conſtituti, cum debitis, ac profundis inclinationibus eum ſuſcipiant, & ordinatè ad Altare procedant; Vltimus verò omnium propè Prælatum erit Superior loci, vel dignior ex Fratribus. vbi verò ante Altare peruentum fuerit, omnes hincinde medium habentes Prælatum, genuflexi cum eo orabunt, qui ſi celebrare voluerit, præparatis antea ſupra Altare paramentis, & alijs neceſſarijs ſuper Credentia miniſtrabitur ei, vt opus fuerit. Quod ſi ſolemniter venerit, ac cum Pontificali apparatu, pulſabuntur Campanę, vſque dum Eccleſiam intrauerit.

3 Cum

3 Cum voluerit recedere, Superior loci, vt ſuprà cum Fratribus deducent eum vſque ad fores Eccleſiæ, vel Conuentus, ſi ad Conuentum acceſſerit.

4 Si Prælatus in loco ſuæ Diœceſis, ac Iuriſdictionis, pro Concione audienda acceſſerit ad Eccleſias noſtras, Baldachinum ei paretur (ſi illud ipſe voluerit) à latere Euangelij, vel è conſpectu Prædicatoris, aut in alio loco congruo, prout Eccleſiæ ſtructura poſtulauerit. Quòd ſi voluerit Miſſam auſcultare, obſeruentur, quæ ſupra adnotata fuerunt.

5 Quando verò aliquis magnus Princeps, vel Principiſſa in locis ſuæ Ditionis accedunt ad Eccleſiam noſtram, paratis cuſſinis, & genuflexorio, iuxta conſuetudinem loci, Superior, miniſtrante aliquo Acolytho vaſe aquę benedictæ, aſtantibus etiam alijs Fratribus; eum, vel eam excipiet, in ipſo ingreſſu ad Eccleſiam oportunis exhibitis inclinationibus. Et cùm voluerit egredi, ſimiliter proſequentur eum, vel eam ad ianuam Eccleſiæ. Et ſi voluerit Miſſæ intereſſe, obſeruabitur, quod ſupra fuit traditum, & ſi in Miſſis, aut Veſperis ſolemnibus aderit, incenſabitur, vt ſupra, ſeruata loci conſuetudine, & cum inſtrumento ad Miſſam, modo præſcripto, Pax deferenda erit.

## *De Receptione ſolemni Miniſtri Generalis, & Prouincialis. Cap. XVI.*

CVm primum Miniſter Generalis ad aliquem Conuentum acceſſerit, ſolemniter erit recipiendus, & tunc. Tapetum in primis cum ſuo puluino ad Ianuam Eccleſiæ in ipſo ferè veſtibulo præparabitur. Ante Altare maius erit genuflexorium ſimiliter panno aliquo, ſiue altero Tapeto coopertum cum cuſſinis; ad cornu Euangelij ſedes aliqua reclinatoria, in Altari ſuper candelabris ſex candelæ albæ, Burſa cum Corporali intus, Pa-

tena cum Purificatorio,& in Credentia peluicula cũ ampulla aquæ, & manutergio: Is, cui id commiſerit Superior localis, parabitur Pluuiali albo ſuper Cottam, & Amictum; Acolythus, & duo Ceroferarij, ſimiliter præſto aderunt, & Fratres omnes, dato ſigno, in Sacriſtia congregabuntur

2 Cùm propè Eccleſiam fuerit Generalis, campanis, & Organis ſolemniter tactis, & candelis ſuper Altare accenſis, ante illius acceſſum ad Eccleſiæ ianuam erit procedendum. Acolythus aquam benedictam cum Aſperſorio deferet, Ceroferarij candelabra accenſa habebunt medium tenentes Cruciferum iam Pluuiali paratum; Crucem ſine haſta geſtantem, & deinde tota familia ordine ſuo ad ianuam Eccleſiæ intra ipſam Eccleſiam in duas alas conſtituetur.

3 Cum venerit Generalis,omnes ei inclinationem facient; & tunc Superior loci aſperſorium accipiens ab Acolytho, qui tradet ſine oſculis, porrigit illud Prouinciali pariter ſine oſculis, & Prouincialis Generali cum oſculis, & Aſperſorij, & manus ante, & poſt qui Generalis ſeipſum, & alios aſpergit, & Aſperſorium reddit. Deinde Cruciferus Crucem illi ad cuſſinum genuflexo adorandam offert, nullam tamen ei tunc inclinationem faciens, ſed poſtquam Generalis illam adorauerit; illi ſe inclinabit, & ſtatim cum Ceroferarijs recedit. Et hoc iuxta antiquum Religionis vſum: ſed rectius fiet,ſi P. Generalis prius Crucem adoret (eam deuotè oſculando) per Guardianum Pluuiali paratum oblatam,& ſtatim Crucifero Cotta induto redditam: mox incenſum, de more miniſtratum benedicat: tum aſpergat vt ſupra Aſperſorium porrigente Guardiano à quo deinde incenſetur, & Verſ. & Oratio ad Altare cantet idem Guardianus.

4 Poſt adorationem Crucis Vicarius intonat Antiphonam *Salue Sancte Pater, &c.* quæ dum cantatur proceſſionaliter ad Altare procedunt omnes,& propè illud cum peruenerint, in duas alas ſe diſtribuunt. Generalis autem in genuflexorio aliquantiſper orat;qui verò Crucem ferebat ad Altare accedens, ea depoſita in cornu Epiſtolæ, extra Altare tamen,

dextrum

dextrum brachium verſus Altare, & ſiniſtrum verſus Populum habens, librum autem ſuper Altare tenens ſtat, & cantu finito cum Organo (ſi motecta aliqua forte decantata fuerint) aliquantulum ad Generalem conuerſus Verſiculos ſequentes cantabit. *Ora pro nobis B. P. Franciſce.* ℟. *Vt digni efficiamur, &c.* ℣. *Domine exaudi, &c.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo*, & accedens ad librum. *Oremus, Deus qui Eccleſiam tuam Beati Franciſci*, &c. *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. Amen.

5 Quo facto, Generalis ſurgens ad Altare accedit, vbi Stola alba ad collum eius ponitur; interim verò deputatus ad Communionem, vel Sacriſta præſto aderit cotta, & Stola indutus, & Cuſtodiam Sanctiſſimi Sacramenti aperit, Pyxidemque ſuper Altare ponit, explicato iam Corporali, & ſuper eo Patena poſita; Interim Thuriferarius adeſt, & genuflectunt omnes, deinde ſurgens Generalis, ſtans incenſum in Thuribulum ſine benedictione, & oſculis imponit, & genuflexus ter incenſat, intonante interea Vicario *Tantum ergo Sacramentum*. Poſtea ſurgens, illud viſitat, non tangat autem, niſi neceſſitas vrgeat, & tunc purificetur de more. Viſitatione facta Sanctiſſimi Sacramenti, iterum incenſum imponit, vt ſupra, & incenſat, & cantatur *Genitori, genitoque, &c.* Deinde duo ex iunioribus ſtantes cantabunt Verſum *Panem de cælo præſtitiſti eis.* ℟. *Omne delectamentum in ſe habentem*, & deputatus ſtando ſubiungat. *Dominus vobiſcum*, & Oremus *Deus qui nobis ſub Sacramento, &c.* qua finita cum Sacramento adſtantes benedicit, nihil dicens, iuxta morem ſolitum.

6 His abſolutis, Stolam deponit, retrahit ſe extra planum Capellæ, & ibi Fratribus hinc inde adſtantibus, & alternatim reſpondentibus, incipit Antiph. *Si iniquitates*, & *De profundis*, quo finito cum Pater noſter, & ſuis Verſiculis Aſperſione facta, ſubiungit Oratio *Deus veniæ, &c.* poſtmodum redit ad Altare, cui facta debita reuerentia, in ſede ibi ad cornu Euangelij parata ſedet, & Prouincialis primus, ſi adſit, alio-

quin digniores, poſtea minus digni deinceps ad obedientiam oſculo manus præſtandam, Prouincialis quidem inclinatione, cæteri verò genuflexione exhibita, accedent omnes. Denique ſurgens à ſede, præmiſſa conuenienti reuerentia Altari, Conuentum intrabit.

7 In receptione Prouincialis, hæc eadem obſeruantur, excepta Crucis adoratione, & cantu Antiphonæ. *Salue Sancte Pater*, & Obedientiæ publica demonſtratione.

## *De Adminiſtranda Communione, & extrema vnctione Fratribus infirmis. Cap. XVII.*

PRo communicando aliquo infirmo ex Noſtris, menſa in cubiculo eius ornetur, mappa, videlicet, munda, & in medio ſit Crux cum Imagine Crucifixi, & duo candelabra hinc inde prope Crucem, Burſa coloris albi cum Corporali, & Purificatorio, & ibidem vas pro digitorum ablutione cum vino, & aqua, quod erit poſtea pro infirmi purificatione, vas item aquę benedictæ cum Aſperſorio, & Stola etiam alba, ſi infirmus fuerit Sacerdos, bene mundatum præterea ſit cubiculum, & in eo odor aliquis ſuauis.

2 Deputatus hora congruenti, dato aliquo ſigno, quo cæteri Fratres conueniant cum cereis accenſis ad proſequendum Sanctiſſimum Sacramentum cum eis accedit ad Altare cum Burſa alia Corporalium, velo oblongo, Pyxide vacua, conopeolo ſuo cooperta, & claui Tabernaculi, è quo educens cum debitis genuflexionibus aliam Pyxidem incluſam, ex ea ſuper Corporali extenſo aliquas particulas (ne Sacramentum totum de Eccleſia auferatur) in alteram Pyxidem, ſeu Calicem (vbi non fuerit altera Pyxis) imponit illam rursùs in Tabernaculo claudit, hanc verò velo longo ſuper humeris coopertam, & cum velo ſuo bene clauſam ad Fratrem ægrotantem communican-

dum

Digitized by Google

dum deſert; Pſalmum *Miſerere* recitans, cum circumſtantibus, præcedente aliquo cum tintinnabulo, & propè eum comitante Acolytho, qui in aſcenſu, & deſcenſu ſcalarum, ad ſiniſtram Sacerdotis veſtes eius anteriores eleuabit.

3 Infirmus interim, ſi poteſt de lecto exit, habitu Religionis indutus,& propè lectum genuflectit, aduentante Sanctiſſima Euchariſtia,accenduntur candelæ,extenditur Corporale, conſiſtunt circa menſam, qui intorticia deferunt, genuflexi: ingreſſus autem Sacerdos in cubiculum, ſtatim dicit *Pax huic domui*, reſpondente Acolytho *Et omnibus habitantibus in ea*, & reliqua præſtat, vt in Rituali Romano.

4 Pro extrema vnctione parabitur in cubiculo ægroti ſuper menſa mappa aliqua munda, & ſuper eam vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, peluicula cum goſſipio, ſeu ſtuppa in ſeptem globulos diuiſa, alia item peluicula cum mica panis, vas aquæ ad lauandas manus cum manutergio, & alio panno mundo ad tergendum infirmum, & cerea candela ad præbendum lumen inungenti.

5 In Sacriſtia velum paretur, Crux cum imagine Crucifixi ſine haſta, vas olei infirmorum in ſua burſa violacea, eo Anno conſecrati, & Stola item violacea cum Rituali Romano ad cuius præſcriptum, conuocatis Fratribus, ſe gerere debebit in adminiſtranda infirmo extrema vnctione.

De

## *De Obitu, & Depoſitione Fratris defuncti. Cap. XVIII.*

CVm primùm aliquis Frater è vita migrauerit, ſignum dabitur iuxta locorum conſuetudinem, modo eo noctis tempore non moriatur, quod non conueniat Campanas pulſari, & tunc ſignum dabitur paulo ante Auroram.

2 Cadauer de more lauatur, deinde ſuis pannis veſtitur, & ſi fuerit Sacerdos, Stola ad collum imponitur coloris violacei, ſuper feretro nudo ſemper, cum duobus ſub capite lateribus, corona ad manus obuoluta, & Cruce cum Chriſti Crucifixi imagine inter manus, & pectus ſuperpoſita.

3 Conuocatis deinde Fratribus de Infirmitorio cum cereis accenſis ſaltem duobus (quorum poſtea alter ad caput, alter ad pedes continuè ardebit) præcedente aliquo Crucifero, & alio cum vaſculo aquæ benedictæ (qua prius, quàm feretrum eleuetur, ad Antiphonam. *Si iniqu.* & Pſalm. *De profundis*, cadauer erit aſpergendum) ad Capitulum (ſi ibi fuerit, ſin minus ad Eccleſiam) recitando interim grauiori voce Pſalm. *Miſerere* à quatuor ex Fratribus eiuſdem gradus & conditionis efferretur, ibique Fratres bini, & bini, prout iuſſi fuerint, ad ipſum cadauer preces eo tempore pro Defunctis recitando, aſſiſtent, donec efferatur ad Eccleſiam, vel ſi in Eccleſia iam fuerit, donec exequiæ celebrentur.

4 In Eccleſiam denique iuxta conſuetudinem laudabilem locorum delato cadauere, cuius caput (ſi fuerit Sacerdos) Altare maius reſpiciat, cereis ſecundùm qualitatem perſonæ pluribus, vel paucioribus accenſis, ibidem ſuper Corpus, Fratribus in duos Choros diſtinctis, Officium Defunctorum totum, Antiphonis duplicatis, vt in Officio duplici, quod ſeruatur etiam in die 3. 7 & Anniuerſario, vt in Rituali Romano, cum tribus ſcilicet Nocturnis, & Laudibus recitetur, cum cantu Gregoriano primi Nocturni, & Benedictus, ſi fuerit ſufficiens numerus Fratrum, Antiphonas diſtribuente

Vica-

Vicario, deinde Miſſa ſolemnis tunc, ſi fuerit tempus congruum pro eodem Defuncto cantabitur, ſine qua non deberet ſepeliri, & erit potius in ſequentem diem reſeruandum corpus, vt omnino cum Miſſa ſepeliatur, iuxta Canones; aduertendo tamen, quod ſicut Sacerdos pedes habet verſus Populum, ita & Celebrans ſiſtere ſe debet ad pedes illius contra Crucem Subdiaconi, qui eo caſu renes vertit Altari, vt Crux in medio ſit cum Acolythis hinc inde, Fratribus poſt Crucem procedentibus, & feretrum circundantibus cum cereis accenſis, ita vt minores ſint propè Crucem; maiores propè Celebrantem.

FINIS.

RE-

Digitized by Google

# REGESTVM.

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXY.

Omnes ſunt duerniones, præter ✠ quæ eſt ternio.

ROMAE, Typis Sac. Cong. de Fide Propag. 1640.

*Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

7-2-3

BIBLIOTECA